Digitized by Google

Opuscula hujus Tomi &c.

- I. Epithome baroniani operis &c.
- II. De falsa veterum Christianorum ritum a ritibus Ethnicorum origine diatriba Petri Lazeri S. J.
- III. Dell'Origine di qualunque autorità Ragionamento del Sigr. Ab. Bergier tradotto dal Francese, e commentato dal P. Ab. Clemente Biagi Camaldolese.
- IV. La novella pretesa Filosofia degli Increduli rea di lesa Maestà divina, ed umana, traduzione dal Francese con note, e Prefazione dell'Ab. Giacinto Ceruti.
- V. Presunzioni scandalose del Secolo XVIII. sopra la Chiesa di Dio di Fra Ant. M.a Marini.
- VI. Propositiones Theologicæ, et adnotationes quibusdam protnibus illustrandis accomodatæ auctore Vincentio Garofoli Can. S. Salvatoris.
- VII. Omelia sopra l'Eguglianza Evangelica di Monsig. Fr. Deodato Turchi Vescovo di Parma.
- VIII. Meditazione Filosofica sull'ateismo, e Pirronismo antico, e moderno di Tommaso Vincenzo Falletti Can. Rocchettino.

Digitized by Google

1

EPITOME
VERONIANI OPERIS
DE REGULA FIDEI CATHOLICÆ

EDITA TICINI REGII MDCCLXXXVI.

NUNC AD UTILITATEM

STUDIOSÆ JUVENTUTIS

EMENDATA, ET ILLUSTRATA

A PETRO PHILALETHE

S. Th. P.

MEGALOPOLI

ANNO CATHOLICÆ SALUTIS

M. DCC. XCI.

Digitized by Google

MONITUM AUCTORIS

VERONIANAM EPITOMEN ILLUSTRANTIS.

MIrabitur certe aliquis, etiamque graviter reprehendet nunc a me susceptam Veronianæ huius Epitomes illustrationem. Nam breve per se Veronii de *Regula Fidei* opus in compendium primo adspectu redactum videtur, ut ex maiore opusculi brevitate maiores quoque percipiantur fructus. Ergo si adnotationibus illud illustretur, iterum grave pondus erit iuvenibus Theologiæ studiosis. Ita sane murmurantes audire mihi videor huiusce laboris obtrectatores. Verum pace eorum dixerim, ipsum Veronii opus, aliqua indigere illustratione: multo maiori eius Epitomen a Ticinensi Doctore confectam. Scopus enim cuiuscumque operis est in primis sæpe gravissima ratio eiusdem interpretandi. Quæ autem fuerit Veronio mens in ea tradenda Catholicæ Fidei Regula, siletur omnino in Ticinensi Veroniana Epitome. Quædam deinde sunt in ipso Veroniano opere nimis arcte, nimis dure dicta, quæ nisi cum distinctione aliqua intelligantur, veritati parum sunt consentanea. Eadem vero, ac pressiori stylo in Epitomen sunt redacta, nulla adhibita hisce periculis cautione. Quæ heic affirmo, omnia ita evidenter demonstrabo, ut quilibet Theologiæ auditor, qui vel exiguo utatur ingenio, eadem vera esse haud ægre intelligere possit.

Ast, inquies, Doctorum vox illustrare, atque emendare etiam solet quidquid in huiusmodi Scriptoribus illustratione, aut emendatione dignum videtur. Num Ticinenses Theologiæ Magistri pecudum more id sequuntur, quod præstitum ab aliis est? Suspicio equidem magnopere eorum ingenia, quorum

 non

non pauca habemus experimenta. At nescio, utrum singulorum Magistrorum mentes compositæ sint cum eo animo, qui nil aliud diligat, investiget, consectetur, quam incorruptæ doctrinæ institutionem. Quin imo, nimis multi sunt sinceri Theologicæ veritatis amatores, qui illud in dubium gravissime revocent, qui etiam magnopere negent. Illustrabunt ergo illi, atque emendabunt, quæ obscura, quæque non satis recta in Veroniano opere occurrunt? Ut liberaliter cum iis agam, concedam, illud præceptorum voce præstari posse, quo indiget remedio Veroniana Epitome; verum, ut vulgare fert adagium, verba volitant, scripta perseverant. Ergo plerique saltem Thelogiæ auditores, quum procul fuerint ab Academia, quam non unice amant, Veronianam Epitomen consulentes, & non recta contemplati, quæ fortasse ab aliquibus Magistris hausere principia, quæ solent menti facilius obversari, non utilitatem, sed perniciem potius ex eo opere, sana quidem mente sed auditoribus illis ignota conscripto, sibi nullo negotio comparabunt.

Experimentum in promptu est satis luctuosum. Mediolanensis auctor libelli, qui inscriptus est, *del diritto di stabilire impedimenti matrimoniali*, non ne ex *Regula Fidei* in compendium a Ticinensi redacta conatus est anno 1784. ostendere, definitam non esse a Tridentino Concilio propriam Ecclesiæ potestatem in dirimentia illa impedimenta? At auctoris illius fallacias adeo confutavit Petrus Deodatus, ut vel perpetuum illi scriptori indictum sit silentium, vel nullam afferre responsionem possit, nisi a Catholica veritate per summam temeritatem recedat. Qua de re erit suo loco disserendum. Alii quoque recentiores non Epitome Veroniana, sed ipsa Regula Fidei ab auctore proposita facile abusi sunt ad suos errores

ex

ex celeberrimi Catholici scriptoris auctoritate firmandos. Ita Jo. Antonius Braun Mogontinus in sua dissertatione, qua contra Tridentini Concilii dogmaticum canonem probare conatus est, licitum esse ratione adulterii uxoris repudium. Ita & alter Moguntinus W. Kamper, qui Indulgentiis Ecclesiæ bellum aliquod indixit. Quot alii fortasse ad hujusmodi fontem veluti sitibundi confugerunt, ut ex eo, quem norunt omnes generatim Catholicarum veritatum adsertorem ac defensorem, possint fallaci studio incautos in errorem pertrahere? Nimirum vetustissima consuetudo errantium est, ut ex veritate ipsa, aut ex veritatis adumbrata specie præsidium inique postulent. Quare reprehendat, qui velit, a me susceptum laborem; vel unum ex auditoribus illis in rectam revocasse viam contentus ero. Spero tamen multo uberiorem fore mei laboris fructum; nam ut scripsit D. Bernardus lib. III. de Consideratione, perdent, si qui sunt erroris magistri, perdent inquit, *auctoritatem facultatemque alios evertendi*.

Antequam Veroniani operis illustrationem aggrediar in antecessum demonstro, quæ fuerit mens Veronii in conscribenda Fidei Regula; atque generatim dumtaxat ostendam, quæ damna facile percipiat studiosa iuventus, cui mens illa Veronii declarata non fuerit. Certum ergo in primis est, Veronio propositum fuisse, ut quos appellamus Protestantes, ad veræ Ecclesiæ sinum revocaret, sicuti ex pluribus ejusdem auctoris operibus constat. Id vero confirmant fratres Walemburgenses, monito in editionem illius Fidei Regulæ. Imo Veronius ipse, Cap. I. §. 4. n. II. rationem sui operis reddens ait: *quia devios ad Fidem Catholicam, semota omni alia Doctrina reducere contendimus*. Item Cap. II. inquit: *nihil moramur eorum* (quæ etiam moraliter certa sint inter Theologos) *so-*

lummodo devium a Fide Catholica ad illam reducere conamur : & alibi etiam in eodem opere hanc suam mentem omnibus compertam reddit. Quum ergo hæretici illi a Catholicis abhorrerent, quod falso putarent, plura apud nos censeri dogmata, quæ in eorum mumero habenda non sint; hinc præter generales de Catholicis Fidei dogmatis regulas, quas initio Veronius constituit, quæque illustrationem iuventuti necessariam flagitant, transit ad peculiaria Catholicæ Ecclesiæ dogmata.

Huius Regulæ Epitomator fere nunquam recitat, sed indicat tantummodo loca ex. gr. Tridentini Concilii, ex quibus depromere eadem oporteat. Itaque in eo totus deinde est, ut commonstret atque declaret, quæ non sint definita apud Catholicos dogmata, quasi magis intersit iuvenes scire quid non sit, quam quod sit; recenset nimirum varias Theologorum de rebus Fidei sententias, easque definitis dogmatis haud esse adnumerandas secure pronuntiat; ac nunquam monet, quod sæpe facit Veronius, easdem sententias, ut veritati proximiores esse in praxi, ut aiunt, sequendas; quinimo iuxta præcipuum suum scopum, studiosæ iuventuti ignotum, ait in fine regulæ X. in Epitome: *En Regulæ generalis secretionis exacte faciendæ, doctrinæ Fidei Catholicæ a placitis Theologiæ Scholasticæ* (quæ nimirum in odium intestinum nunc vertitur apud Theologiæ auditores) *&* *a quavis alia doctrina*. Adde etiam quod prudens Veronius ubi sermonem habet de rebus, quæ pertineant ad Romanum Pontificem, quæque non sunt Fidei Catholicæ dogmata; attamen fere semper ipse monet, venerationem & obedientiam eidem tamquam supremo Pastori & Magistro esse a Fidelibus adhibendam. Hoc vero brevitatis caussa semper ab Epitomatore prætermissum est.

Qua-

Quamobrem quisque intelligit clarissime, quæ detrimenta percipere novi præsertim Theologiæ auditores possint, quibus alia prorsus documenta præstitisset doctissimus Veronius. Illi enim facile admodum ex iis regulis omnia sibi licita ad doctrinam & ad mores spectantia existimare possunt, quæ ipsi non agnoscunt tamquam definita Catholicæ Religionis dogmata. Hæc non declaro magis, ne brevitatem mihi propositam videar deserere. Verumtamen quisque sanæ mentis est, teterrimas cogitet consequutiones, quæ ex eo principio haud ægre nasci possunt, quæque, ut paullo ante iam ostendi, exortæ sunt hisce temporibus, quibus iuvenum auribus obstrepunt voces illæ, quæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ Ecclesiarum omnium Matris ac Magistræ auctoritatem detrahere, eique eripere per summam iniuriam conantur, aut etiam omnem potestatem, quam verbo tenus laudant, reipsa imminuunt paullatim, atque ut vetus & recentior experientia miserrime commonstrat, omnino labefactant, & in interitum coniiciunt. Itaque ad Veroniani operis illustrationem accedo.

EPITOME OPERIS

CL. FRANCISCI VERONII

DE REGULA FIDEI CATHOLICÆ

ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATA.

REGULA I.

§. I.

Illud omne & solum est de Fide Catholica, quod est revelatum in verbo Dei, & propositum omnibus ab Ecclesia Catholica, Fide credendum.

ADNOTATIO.

Forte Veronius expressam heic non iniecit mentionem de Verbo Dei tradito, nec alibi hoc fundamentum Fidei recensuit, sed eius tantum obiter meminit in sequentibus monitis, quod optime nosset Hæreticos, quos studebat ad Catholicam unitatem suaviter revocare, nollent Traditionem, velut Fidei fundamentum fateri. Quare Ticinensis Doctor inter Theologicas propositiones, quas Veronianæ Epitomi adiecit, illas etiam de Traditione inseruit. Utinam & alia remedia eidem adhibuisset.

§. II. *Neque refert, an illa propositio* veritatis Fide divina credendæ *emanet ex Concilio aliquo universali, ex ejus decreto, & definitione, an ex sensu fidelium omnium.*

§. III. Fides enim divina est, credere propter auctoritatem Dei revelantis: *in quam solam auctoritatem tota resolvitur. Propositio autem fit per Pasto.*

res

Digitized by Google

res a Christo constitutos, in Concilio universali congregatos, vel ex manifesto fidelium omnium sensu. Nec enim aliter fieri potest, ut talibus credendis singuli fideles adstringantur.

ADNOTATIONES.

Pollicitus est Christus Dominus, adfuturum se Ecclesiæ suæ, ne unquam erret in proponenda Fidei doctrina; ut postremo operis loco probat ipse Veronius. Hæc autem proponitur a Pastoribus vel in Concilio oecumenico congregatis, vel per orbem dispersis; ipsi enim sunt veri ac primi doctores ab ipso Christo cum auctoritate constituti; ceteri & si doctores, non habent tamen hanc ut propriam auctoritatem, sed tantummodo a legitimis Pastoribus cum ipsa doctrina eisdem communicatam. Hinc *fidelium omnium sensus*, de quo Veronius, nil aliud tandem est, quam doctrina Episcoporum ceteris Fidelibus proposita, quam ipsi ab illis acceptam retinent.

Quamobrem Ecclesia dispersa, sive Episcopi non congregati in Concilio, ii sunt, qui testes habentur primarii, donati auctoritate proponendi ac declarandi Catholicam doctrinam. Hoc fatentur Catholici omnes. Verum inter eos, qui hoc nomine gloriantur, sunt qui flagitant Episcoporum de hac re unanimitatem aut mathematicam, aut quasi mathematicam. Qui absolutam unanimitatem postulant, certe falso sibi blandiuntur de Catholico nomine; nulla enim, aut ferme nulla fuit hæresis a Conciliis oecumenicis damnata, quæ plures non habuerit infelices patronos Episcopos; ut ex Ecclesiæ historia est evidens. Si eamdem consulas, errori quam maxime proximos invenies etiam illos, qui absolutam quasi unanimitatem doctrinæ in Episcopis flagitant. Quare illud videtur certo statuendum, sufficere unanimitatem moralem, quæ noscitur ex maiori numero

ro

ro Catholicorum Episcoporum ; consentientium cum supremo Ecclesiæ capite . Qua de re consulendum est opus inscriptum , *Giornale Ecclesiastico di Roma an.* 1785. *num. XIII. e segg.*

§. IIII. *Sæpius Theologi inter se* , an hoc vel illud sit Fide divina credendum , *istis affirmantibus illis negantibus* , *digladiantur* . *Quo ipso* consentiunt omnes , *illi etiam* , *qui Fide divina illud esse credendum dicunt* , non esse Fide Catholica credendum , nec proinde hæreticos , & ab Altari , seu Ecclesiæ communione emovendos , qui talia Fide credere respuerent.

ADNOTATIONES.

Huc referenda ab auctore aptius videbantur , quæ ipsum sequuti afferemus Regula III. §. *sequitur* 4. Qua in re hæc sunt animavertenda I. Disputatio inter Theologos , an aliquod sit Fide divina credendum , duplici ex fonte oriri potest ; ac primo inquiri potest , utrum aliqua Scripturarum sententia , aut aliquod dogma ab Ecclesia definitum , hac potius vel illa ratione sit intelligendum ; secundo an ex evidenti Bibliorum sententia , aut evidenti definito dogmate sequatur ea consequutio , quæ manifestet veritatem Fide divina credendam . De hoc prius liceat aliquid adnotare . Esto utique , ut plurimum concedam , habendam non esse Catholica Fide credendam propositionem illam , quæ ex aliquo Scripturæ loco ope solius humani ratiocinii certo deducatur a Theologis , ac proinde damnandum non esse ab Ecclesia ut hæreticum , qui eidem propositioni nolit assensum præbere ; verumtamen hoc recte dictum a Veronio est , ut Protestantes revocentur ad Ecclesiam Catholicam ; qui quidem si hanc obtinuerint a Deo gratiam , facilius etiam ea percipient & admittent , quæ sunt a Catholicis admittenda . At eadem illa Veronii doctrina , nunc Catholicis sine ulla illustratione

aut

aut exceptione propoſita, maximi eiſdem detrimenti eſſe poteſt. Catholici enim non modo abſtinere debent a propoſitionibus, quæ definitis dogmatis contradictoriæ ſint, ſed ab illis etiam, quæ aliquod Fidei damnum afferre poſſunt; ut ſunt certe propoſitiones hæreſi proximæ, ſapientes hæreſim, & huiuſmodi plures aliæ. Ab hiſce pronuntiandis ac retinendis abſtinendum eſſe ſemper Eccleſia præcepit. Huiuſmodi autem propoſitiones ſunt illæ, quæ & ſi non adverſentur definitis ab Eccleſia dogmatis, repugnant tamen propoſitionibus, quæ vel ex una Scripturarum ſententia, aut ex definitis Fidei veritatibus legitime deducuntur.

Et ſane ſi naturam definiti dogmatis conſulamus, multo magis conſtabit, quam neceſſaria ſit propoſitionis Veronianæ illuſtratio, & Epitomes pro Catholicis emendatio. Quod namque in Catholica Eccleſia definitur dogma, haud eſt aliqua nova veritas in ipſam invecta, ſed eſt illa, quam Eccleſia ipſa ab initio, ac ſæpe etiam expreſſe omnino & univerſe profitebatur. A definitione dogmatum contra Arianos & Neſtorianos ſumantur exempla. Aderat certe explicita in Chriſtianorum coetu Fides de Verbi, & de Chriſti divinitate; hæc enim ſunt ex primariis Chriſtianæ Religionis veritatibus, quæ niſi enunciatæ palam & propoſitæ ad credendum fuiſſent, initia numquam iacta eſſent ipſius Religionis. Ergo ne illis temporibus licebat ſine hæreſis nota aſſerere nec Verbum, nec Chriſtum eſſe Deum, propterea quod nondum conditi erant canones in œcumenicis Conciliis, quibus definita ſunt dogmata de Verbi, & de Chriſti divinitate? Dices, utique ex regula ipſa Veronii non licuiſſe, eo quod ipſe regulam Fidei Catholicæ conſtituat etiam in *ſenſu Fidelium omnium*. Aſt certe in Fidelium omnium ſen-

su aderant supradictæ veritates, sine quibus stare non poterat Christiana Religio. Prædictum porro in Evangelicis scriptis est, futuros ex ipso Christianorum cœtu, qui negent promulgatas de sanctissima Religione veritates. Disputarunt autem contra Verbi, & Christi divinitatem, qui inter Catholicos se esse gloriabantur, etiamque Theologi, & Episcopi; neque tamen eorum disputatio poterat infirmare illorum dogmatum veritatem, adeo manifestam, sicut manifesta erat Christiana ipsa Religio.

Hinc ergo alia sequitur animadversio generalis, sicuti pariter generalis est antecedens observatio; nimirum non quorumlibet Theologorum disputationem efficere, ut inter dogmata Catholica minime sit recensenda propositio illa, de qua est inter eos dissensio, an Fide tantum, an Fide simul Catholica sit credenda; secus enim omnia vel definita canone expresso, vel confirmata *ex sensu fidelium omnium* dogmata non in quascumque, sed ita in densissimas coniici poterunt tenebras, ut amplius de ipsis Christianæ Religionis fundamentis constare non possit. Siquidem ad Fidem Catholicam inducendam expressus canon ab iis flagitatur, quem pro Fide tantum non postulant. Siquidem ut vidimus, hæc non modo in quæstionem vocata, sed denegata etiam fuere ab iis, qui inter Catholicos, tamquam Catholici versabantur, mentientes se esse in numero credentium. Quod autem semel ac pluries contigit, iterum iterumque potest contingere; neque enim ulla res est tam comperta atque perspicua, ut apud aliquos tenebrarum amatores vocari in discrimen non possit. Nihil est namque tam inverosimile, ut aiebat Tullius, quod dicendo, apud aliquos saltem non fiat probabile. Quid clarius, quid evidentius existentia Dei; neque tamen defuere tam impii homines, qui eam-

eamdem in dubium pertraxerint, imo etiam negaverint.

Multum vero huic hominum generi facilius est, ut illud quod Fide Catholica recte creditur, Fide tantummodo credendum conentur suadere; ac denique nulla ratione credendum. Quum enim, quæ Fide divina sint credenda, debeant certo divina auctoritate inniti, huiusmodi autem non sint, quæ divina auctoritate niti non Ecclesia, sed privati tantum homines testantur, facillime concludent, non esse divina Fide credendum, quod Fidem Catholicam non habet. Hinc quod Catholica Fide non est credendum, facillime nulla fide divina creditur.

Qua in re illud magnopere est animadvertendum, quod si quid etiam Fide divina, non tamen Catholica credendum sit, hoc tamen sæpissime præbet effugium Christianæ Religionis inimicis infensissimis. Satis eisdem est, hæreticum nomen effugere, dummodo quæcumque ipsis arrideat perversa opinio pacifice relinquatur. Qui hæresum historiam novit, non ignorat sane, omnibus fere hæreticis hoc cordi maxime fuisse, ut Catholici existimarentur, & ne proinde haberentur a Catholicis tamquam hæretici. Hoc enim inditum hominum naturæ est, ut malum quodcumque effugiant; ac propterea malum amplexari nolunt nisi sub ficta ratione boni, & contra non aversantur bonum nisi sub simulata mali imagine. Quamobrem hæretici plurimi ex veteribus adversantes dogmatis, quæ *ex ſenſu fidelium omnium* erant Catholica, Catholicum tamen nomen sibi usurparunt, adeo ut ab Ecclesia eiecti venditarent illam defecisse, & apud se ipsos veram Ecclesiam tantummodo perseverare. Nunc vero accerrimi veritatum Catholicarum hostes in id magnopere incumbunt, ut eius dogmata evertant simul, & Catholici videantur;

tur ; nimirum ne per excomunicationem eiiciantur tamquam ethnici & publicani a vera illa Ecclesia, in qua agnoscunt hanc esse, divinitus datam, facultatem pertinaces errantes ex cœtu Catholicorum eiiciendi, ne scilicet dicantur hæretici. Aiunt impii obscurari posse omnia definita dogmata in Ecclesia, ipsa docente, & quædam, quibus ipsi maxime repugnant, iam obscurata esse, ut superbiæ, ambitioni, cupiditatibus, invidiæ, ceterisque vitiis indulgentes, conquiescere in suis perversis opinionibus, cum Catholico nomine possint. Quare incertissimum esse contendunt *fidelium omnium sensum* in iis quas ipsi oppugnant Catholicas veritates, & a Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum (ut definitum ab œcumenicis Conciliis est) Matris, & Magistræ iudiciis sententiisque ad futurum generale Concilium, quod vident difficillime congregandum appellant; in eo autem congregato tot comminiscuntur difficultates examinis legitimi, legitimique numeri Episcoporum, quibus volunt etiam Parochos tamquam Fidei iudices, quos numquam habuit Ecclesia, ut impossibile omnino sit in eorum hypothesi hæreticum aliquem declarare, atque ex catholica Ecclesia ut Ethnicum & publicanum eiicere; ac proinde Ecclesiam Christianam, que est visibilis societas a sapientissimo Numine fundata, optimisque supra omnes societates legibus munita, ipsi perversi hostes reipsa traducunt tamquam Rempublicam a stultisssimo (sit venia verbis) legislatore compactam, quæ non habet media, quibus legum suarum observantiam iubeat, & earum prævaricatores pertinaces e sinu suo expellat, nec proinde obtinere unquam possit finem, propter quem ipsa a Deo fundata est. Hæc sunt animi sensa, quæ impii illi maxime fovent; quæ si expressis verbis non demonstrant, æquipollentibus

bus tamen & opinionibus & factis ita declarant, ut stupidus omnium sit ille, qui eadem perspicue non intueatur. Agnoscunt illi, habere se hæc in animo sensa; et eos irrident, quos se posse fucatis verbis decipere sibi stulte blandiuntur. Sed veniet dies, qua hæc per fraudem apud ignaros abscondita, omnibus clare revelabuntur.

Ut autem perspicue constet, miserrimos hujusmodi homines sub fucata doctorum Catholicorum imagine pessumdare atque destruere dogmata ipsa, quæ non solum ex Fidelium omnium sensu, sed etiam ex definitione Ecclesiæ sunt Catholica, unicum seligo brevitatis caussa exemplum, ex quo de ceteris ipsi etiam Theologiæ auditores facile poterunt judicium ferre. Extant in Tridentino Concilio canones, qui sub anathemate damnant eos, qui dixerint Ecclesiam non potuisse, vel non posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia. Ex formula & sensu canonum, & ex contextu Concili evidens est dogmaticos eosdem, non disciplinares esse: spectant enim primario ad doctrinam a Catholico retinendam; constat pariter eosdem promulgatos contra hæreticos veritati catholicæ repugnantes; adeoque ab Ecclesia quæ auctoritatem habet docendi Fideles, & errores eliminandi; ac demum contra hæreticos definitam propriam Ecclesiæ ipsius auctoritatem constituendi eadem impedimenta; nam Ecclesiæ nomen in iis canonibus adhibitum Ecclesiasticam significat Hierarchiam; sunt enim nemine repugnante lati adversus Lutherum, qui ingenue fassus est, se negasse non civilem, sed Ecclesiasticam ea de re potestatem. Quæ omnia sic evidenter demonstrata sunt a Petro Deodato in opusculis inscriptis: *Defensio Canonum Tridentinorum* &c. adversus Tamburinium, Nestium &c. *Seconda difesa de' Canoni Trentini contro autori Lombar-*

bardi &c. & Terza Difesa de' Canoni Trentini contro il Parere de' Teologi di S. M· Siciliana &c. ut apud æquos rerum æstimatores nil amplius desiderari possit. Pueriles ergo, ac saltem inanes, & partim ex aliis caussis ineptissimis, contra eos Canones ortæ sunt difficultates, quibus contendunt, canones eosdem disciplinares esse, vel in iisdem definitam Principum auctoritatem in Matrimonia; quibus omnibus argumentis satisfecit amplissime Deodatus, ut defenderet eius dogmatis existentiam, atque liberaliter agens, canonum eorumdem æquitatem adversus eosdem demonstravit. Verumtamen inter scriptores illos, qui hoc dogma oppugnarunt, non solum recensentur Theologiæ doctores, verum etiam Episcopi aliqui, adhuc Catholico nomine insigniti, quin etiam alter ex hisce Episcopis veritus non est asserere, opinionem, quæ negat illam Ecclesiasticæ Hierarchiæ auctoritatem, esse opinionem certissimam, & evidentissimam a præclarissimis Theologis demonstratam adeo ut nil sit amplius inquirendum; ipse vero aut non legit unquam, aut non intellexit, quæ a Deodato latine & italice demonstrata sunt; sicuti & alii huiusce generis adversarii; quinimo ad pessimæ caussæ defensionem, Catholicos audent impudentissime laudare Doctores, qui veritatem illi errori contradictoriam aperte Catholicam appellant. Unus autem ex huiusce generis adversariis victus tandem demonstrationibus a Deodato propositis, non erubuit Catholico se spoliare nomine, dum scripsit, quod si illud a Concilio Tridentino definitum sit, hoc sine auctoritate fuerit ab eo definitum, ac proinde Patres Tridentinos non veritatem, sed errorem promulgasse. Huc sane perveniendum ab eo est, qui partium impiarum studio incensus velit quod sibi placuerit, ratione & Religione repugnantibus do-

docere. Hisce constitutis proponatur iuvenibus Theologiæ auditoribus, sine ulla illustratione, Veroniana illa Regula, quæ num. III. sub finem, tamquam novatores reprehendit eos, qui dogma Catholicum contendant illud esse, de quo habetur inter Catholicos quæstio, utrum revera sit Catholicum. Quinimo regula eadem proponatur in ea urbe, & in ea Academia Theologica, in qua non defuit, qui in edito de moralibus disciplinis libro, negaverit Ecclesiæ potestatem propriam constituendi coniugiorum impedimenta, qui ut arbitror verosimilius, Deodati librum legit, demonstrationes dogmatis non potuit non persentiscere, quique tamen errorem suum editis libris minime revocavit. Profecto, si absque alia illustratione proponitur supradicta Regula, maximum iuvenibus procreat erroris periculum.

§. V. *De hac autem* Fide divina, *quæ sit etiam* Catholica *loquimur in præsenti : Cum sola sit de qua Paullus ad Rom. cap. X. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

§. VI. *Porro in hac* Fidei Catholicæ Regula *statuenda omnes Synodi, Patres, ac Theologi consentiunt.*

ADNOTATIO.

De hac Fide Catholica loquitur Veronius, quia studebat Protestantes ad veram Ecclesiam revocare. Sed hæc sunt intelligenda, sicuti intelligendum est illud *Fides justificat*, non quod sola Fides iustificet, quæ, Deo monente apud Iacobum Ap., sine operibus mortua est. Ita confessio quidem Fidei Catholicæ est ad salutem necessaria ; sed necessarium pariter est Catholico ad salutem, non retinere corde, nec ore pronuntiare propositiones illas, quas Ecclesia etsi non damnavit tamquam hæreticas, damnavit tamen ut hæresi proximas, hæresim sapientes &c. eas insuper, quas communis sensus Fidelium exhorret, tam-

quam alienas ab Ecclesiæ Catholicæ doctrina. Ecclesia enim non modo debet Fideles ab errore contra Fidem Catholicam avertere, sed ab alio quocumque, ex quo periculum Fidei Catholicæ nascatur, vel aliud quodvis salutis spiritualis, & Christianæ societatis detrimentum. Hæc autem, & quæ superius adnotata a nobis sunt, illustrant alia etiam, quæ in Veroniana Epitome sequuntur.

REGULA II.

§. I. *Duo igitur debent coniunctim adesse, ut doctrina aliqua sit Fidei Catholicæ; alterum ut sit revelata a Deo per Prophetas, Apostolos, seu Auctores Canonicos; alterum ut sit proposita ab Ecclesia.*

§. II. *Si utrumque adsit alicui doctrinæ, illa Fide divina Catholica est credenda: Si alterum desit, seu revelatio, seu propositio Ecclesiæ, non est Fide divina Catholica credenda. Sed secundum adesse non potest, quin primum reperiatur: quia quum Christus Ecclesiæ promiserit assistentiam Spiritus Sancti, qui doceat eam, ducatque in omnem veritatem; hæc nunquam, stante Dei promissione, quæ semper obtinet, docet aliquod esse revelatum, quod non sit revelatum. Potest tamen aliquid esse revelatum a Deo, etiam in verbo suo, obscure scilicet, quod nondum sit propositum ab Ecclesia, quia illud quidem revelatum est in verbo divino, sed quod interprete egeat, & nec dum Ecclesia sensum verbi Dei seu scripti seu traditi aperuerit, sicque nondum definierit; & proinde nondum proposuerit hoc vel illud esse Fide credendum.*

ADNOTATIO.

Quod Auctor hoc loco ait, quod Ecclesia nunquam docet ut revelatum, quod revelatum non sit, perinde ex sensu Veronii est, quod Ecclesia non docet credendum de Fide Catholica id, quod ita

non

non sit credendum. Ast cave putes, necesse fore, ut Ecclesia in quolibet canone dogmatico uti debeat formulis, quæ demostrent, se definire aliquid tamquam revelatum, aut ad Fidem Catholicam pertinens. Ita existimasse videtur scriptor quidam nuperrimus Mediolanensis, qui abusus est regula Fidei Veroniana, ut infra suo loco dicam uberius; Si formula necessaria foret in ipsis canonibus Conciliorum, nullus forte esset unquam promulgatus ab Ecclesia canon, qui dogmaticus esset censendus, quique ad Catholicam Fidem pertineret. Satis ergo est, ut illud ex scopo Conciliorum intelligatur; quæ quidem vel initio sessionum, vel in qualibet sessione declarant expresse vel implicite se definire Catholica dogmata, aut tradere Catholicam doctrinam, aut errores contra Scripturam, Traditionem, Ecclesiæ documenta damnare, ac similibus rationibus se Christianum populum docere. Sed hæc inferius erunt declaranda & peculiaribus argumentis adversus Mediolanensem scriptorem confirmanda. Nunc progrediamur ad inspiciendas vel illustrandas Veronii de Fide Catholica Regulas negativas, quæ ex positivis antea ab eo declaratis existimat necessario consequi ad Protestantium eruditionem.

R E G U L A III.

§. I. *Quum nihil sit de Fide Catholica, nisi revelatum per Prophetas, Apostolos, & Auctores Canonicos.*

§. II. *Sequitur I.* Nihil esse de Fide divina eorum omnium, quæ novimus ex revelationibus factis post tempora Apostolorum *quibusvis etiam Sanctis, Ambrosio, Cipriano, seu aliis, antiquis aut recentioribus, quorum myriades sunt in vitis Sanctorum, Catharinæ Senensis, Birgittæ &c. etiamsi approbatæ forent tales visiones a quibusvis Conciliis, etiam universalibus, quales aliquæ referuntur in II. Niceno &c.; quia ista*

non sunt revelata Prophetis & Apostolis. Fides proinde, quæ haberi potest ex iis, humana est, quæ penes auctores referentes est; nutans, probabilis, certa, aut improbabilis, pro qualitate referentium, & circumstantiis talium revelationum.

ADNOTATIO.

Addit autem huic regulæ prudens Veronius, quod *si credimus Fide humana Dioni, Svetonio, & aliis prophanis historicis, cur parem saltem, vel maiorem gravioribus Auctoribus non deferemus Fidem?* Hoc epitomator brevitatis caussa præteriit; quæ non erant omittenda, ne in contemptum apud iuvenes abirent omnia, quæ huiusce generis a gravissimis narrantur scriptoribus. Nam quod hi quidem gravissimi narrant, quibus maximi cordi erat Christianæ Religionis honor & decus, ac præsertim Nicœni II. generalis Concilii Patres, non solum maiorem, quam prophani historici Fidem promerentur, sed quam maximam habere debent. Deus enim, qui perpetuo auxiliatur Ecclesiæ suæ dilectissimæ, & si infallibilitatem non largiatur Patribus œcumenicis, quum de hisce rebus pronuntiant, attamen nunquam sinet profecto, ut ea approbent, quæ humanis rationibus ostendi possint parum Religioni suæ conformes. Sed & sequenti corollario multo plura omisit Epitomator, quæ de eius mente gravem iniiciunt suspicionem. Nam ipse ait:

§. II. *Sequitur* 2. Nihil Fide divina credi ex ullo miraculo facto post tempora Apostolorum in confirmationem cuiusvis doctrinæ, nullumque horum miraculorum Fide divina esse necessario credendum; *etiamsi talia miracula contineantur in Bullis Summorum Pontificum Romanorum Canonizationis Sanctorum, quorum plenæ sunt dictæ Bullæ, aut etiamsi referantur in Conciliis universalibus.*

A D N O T A T I O.

Etsi credenda hæc non sint Fide divina proprie dicta, quæ divina nititur revelatione; certum tamen ea credenda esse Fide Ecclesiastica, divinis innixa promissis: scilicet nisi quis absurde & impie dicat, nullam nobis viam nunc suppetere, qua omnipotentia Dei nobis ex miraculis etiam manifestetur; fateatur oportet recensita miracula constare nobis certitudine illa, quæ maior inter homines esse non possit, cui proinde repugnare nemo nisi audacissimus velit; ut Veronius ipse, cuius verba paullo post afferemus, iure animadvertit. Pollicitus est enim in Evangelio Deus, se facturum, ob vivam petentium Fidem, miracula; inutile aliqid promisisset, si ea habenda non foret in miraculis ipsis certitudo, quæ divinis conveniat inter homines operationibus. Hæc ergo saltem habenda est compluribus miraculis Fides, iis potissimum, quæ ab œcumenicis Conciliis approbata sint, vel etiam a Romanis Pontificibus, in caussis Sanctorum confirmentur. Altera quoad canonizationem Sanctorum addi potest ratio, quæ profecto prudenti viro omnem dubitatiouem aufert. Tanta siquidem est Romanæ Sedis diligentia, & accuratio in instituendo miraculorum, quæ proponuntur ad Beatorum canonizationem, examine, ut severiores hæretici eam magnopere admirentur. Itaque maxima, Ecclesiastica saltem Eide habentur digna huiusmodi miracula, quæ a sanctis doctisque viris, a S. Sede Ap. Rom. atque ab œcumenicis Conciliis approbentur.

Hanc fuisse Veronii mentem dissimulavit eius Epitomator; quo animo, ipse novit. Namque Veronius, qui inprimis, etsi falsa aliqua narrari a privatis scriptoribos fateatur, addit attamen: *maxima pars, & fere omnia verissima sunt*. Deinde ait: *& si historiis*

Svetonii fidem aliquam adhibemus, nec revocamus in dubium facta ab eo descripta, temerariusque censeretur, qui sine ratione hæc negaret; maioris sine temeritatis arguendus foret, qui prædicta omnia miracula, relata a sanctissimis, & gravissimis testibus, etiam ea quibus interfuerunt, referentibus, ut pleraque refert Augustinus, negaret. Quamquam vero neget Veronius Fidem Catholicam his inniti tamquam fundamento; *confirmatur nihilominus*, inquit, *his miraculis, quinimo revelationem aliquam continent*; idque probat ex Scripturis Novi Testamenti (ad Hæbr. cap. II. v. 3.: Matth. XXVIII. 20.) atque concludit; *Omne ergo miraculum, verbum quoddam Dei est; impossibile autem est, verbo ullo, mentiri Deum*. Apost. ad Hæbr. cap. VI. v. 18. Hæc vero an brevitatis gratia, an corruptionis caussa ab Epitomatore Veroniano sint prætermissa, aliorum esto iudicium. Illud certum hinc eruitur, quod si Veronii fontem adeat Catholicus, in hisce rebus eam pietatem Religionemque servabit, quam debet; si eius Epitomen Ticinensem consulat, pietatis religionisque detrimenta facillime patietur. Illustratione autem tam Veronii doctrina, quam eius Epitome indiget in eo quod

§. III. *Sequitur 3.* Nullam doctrinam fundatam in Verbo Dei, sive Scriptura diversimode exposita a Sanctis Patribus, aut Doctoribus nostris, esse doctrinam Fidei. *Idque ex duplici defectu* 1. *quia non constat esse revelatam; omnis autem actus Fidei debet esse certus ex revelatione*. 2. *Nec proponitur talis expositio, seu sensus ille Scripturæ, ab universali Ecclesia, hoc ipso, quod varie exponitur*.

ADNOTATIO.

In hoc corollario vel exponitur regula qua Ecclesia uti debet in inquirendis Fidei veritatibus, vel eadem demonstratur Fidelibus, ut ipsi noscant quid Ca-

Catholice credere eos oporteat. Si primum, regula ipsa aliquam flagitat illustrationem. Ecclesia enim Spiritu S. edocta novit, quinam ex necessitate, quinam ex utilitate tantum consulendi sint doctores nostri, ut eorum auctoritas pondus habere possit; tum vero ipsa intelligit, quem numerum SS. Patrum & Doctorum sequi debeat. Notum siquidem est, definitas ab Ecclesia veritates Catholicas, licet aliqui ex SS. Patribus, & plures ex Doctoribus aliter senserint. Non ergo constans regula est, non definiri ab Ecclesia veritates Catholicas, quum a Patribus & Doctoribus diversimode aliquis Scripturæ textus exponatur. Si vero alterum; hoc inutile, & perniciociosum ipsis Fidelibus foret ex ipsis antea a Veronio positis principiis; siquidem privati Fideles minime iudices sunt de Fidei rebus. Quod si inter ipsos Doctores quæstio sit utrum aliquid sit de Fide divina, an vero de Fide Catholica, quæstio hæc in binas dispertiri potest. Vel enim de re iam ab Ecclesia definita quæstio est, quo in sensu accipi debeat, vel de re, quæ nulla ratione definita sit. Si hoc postremum; evidens est expectandam Ecclesiæ definitionem. Si primum, quoniam cuique inquieto Catholico familiare est dubitationes definitis dogmatis proponere, omnia fere dogmata in tenebras verterentur, auditis huiusmodi Catholicorum argumentis. Ergo contemnendi sunt, sicut Ecclesia eos contempsit, postquam dogma aliquod adversus eosdem definiit.

Quos vero Veronius dixit in Regula hac Doctores; hoc pariter supra declaravimus, quommodo intelligendum; ne scilicet sumantur tamquam Ecclesiæ Doctores ii, qui licet adhuc Catholico glorientur nomine, tamen quæcumque intercesserit caussa, Catholicæ veritatis parum se probant amicos. Præterea

rea distinguendum diligenter est inter Doctores Ecclesiæ, qui missionem a Deo habent, ut ipsi sint legitimi & cum auctoritate definitores Catholicarum veritatum, & inter alios Doctores, quorum etsi ingenium & doctrina plurimi æstimanda sint, non habent tamen huiusmodi intimam auctoritatem definiendi Catholica dogmata; sicuti legum interpretes dicuntur authentici, qui sunt legum auctores, nimirum Principes; ceteri autem interpretes doctrinales appellantur. Qua quidem posita recta distinctione facile evanescunt, quæ hisce temporibus excitatæ iterum e cineribus sunt quæstiones de Iudicibus Fidei. Hi porro a Christo Domino positi sunt dumtaxat Episcopi cum R. Pontifice consentientes, ut cum auctoritate definiant Catholica dogmata. Ceteri autem non nisi delegatam habent in hoc genere auctoritatem. Atque hinc est, quod fere numquam ad œcumenica Concilia vocati sint alii præter Episcopos; qui certe & alios necessario vocassent, si agnovissent eosdem divina ac primigenia auctoritate donatos ad definiendas Catholicæ Religionis veritates. De infallibilitate autem definitionum huiusmodi, aptior erit infra dicendi locus. Demum illud omittendum non est, quod ad Regulæ ipsius explanationem scripsit Veronius, qui ait: *Vbi tamen observandum, quod quando SS. Patres explicant varia loca Scripturæ, & eamdem veritatem alii ex illo Scripturæ textu eruunt, alii ex alio; ipsorum consensum non tantum ut unanimem esse acceptandum Ecclesiæ, sed etiam ut fundatum in Scriptura, licet non ut fundatum in hoc vel illo particulari loco Scripturæ.*

§. IV. *Sequitur* 4. Nullam consequentiam, certo licet, & evidenter deductam ex propositione aliqua Fidei, & alia evidenti lumine naturæ, per formam logices evidentem, sufficientem esse fundando Fidei

Catholicæ articulo : seu nullam doctrinam, quæ constet solum tali consequentia, esse doctrinam Fidei Catholicæ. *Idque ex duplici etiam defectu* 1. *Quia proposita non est illa doctrina ab Ecclesia universali*, 2. *Quia talis doctrina sic deducta, non est revelata*: Fides *autem* est *ex auditu, auditus per verbum Dei, uti cap. cit. ad Romanos docet Paullus, qui sane non addit: & per consequentiam deductam evidenter ex verbo Dei*.

Profecto (quod notandum diligentissime) certum est, varias esse sententias doctorum Catholicorum: an *quod sic sequitur ex Scriptura sit de* Fide? *Alii asserunt, ut Vega, Canus; alii negant. Distinguunt alii docentque: Si ex duabus propositionibus Scripturæ deducatur consequentia, illam esse de Fide; neutiquam si ex una de Fide, & alia evidenti lumine naturæ. Consentiunt autem omnes*, non esse de Fide Catholica, *idest non esse talem doctrinam, cui omnes sub pœna hæresos teneantur assentiri, tamquam de Fide; & si quis contrarium diceret, Novator ipse valde culpandus foret, novum dogma ingerens, & oppositum sentientes damnans, in hoc ipso ipsemet temeritatis in re gravissima damnandus, & censura Ecclesiastica percellendus*:

ADNOTATIO.

Quamvis hæc omnia primo adspectu videantur perspicua, attamen cuique constabit evidentissime, eadem indigere aut emendatione aut saltem illustratione. Regulam Veronianam cum addita ab ipso declaratione consideremus. Quod ait in Regula, non esse doctrinam Fidei Catholicæ consequutionem illam, quæ ex propositione aliqua Fidei & ex alia propositione naturalis rationis deducitur, concedi Veronio potest, ob rationes ab ipso allatas. Verum quod ait in declaratione de alia Doctorum hypotesi, hoc ve-

velim intelligant Theologiæ studioſi, ita ut non ſit de Fide Catholica, dum ea conſequutio ex aliqua Scripturæ propoſitione a Theologis eruitur & ex altera lumine naturali cognita; poſſit tamen ab Eccleſia definiri tamquam Catholica veritas. Eccleſia enim, ut legitima Scripturarum interpres, iudicare utique poteſt, utrum ex una Scripturæ propoſitione neceſſario ſequatur alia, adeo ut non poſita conſequutione illa, nec poneretur Bibliorum propoſitio, aut ſi falſa eſſet eadem conſequutio, falſa quoque eſſet illa. Quod enim dixerit Apoſtolus, Fidem eſſe ex auditu per verbum Dei, & ipſe non addiderit: *per conſequentiam deductam evidenter ex verbo Dei*, non tamen id negavit Apoſtolus: neque enim dixit, Fidem eſſe per verbum Dei adeo ut quod conceptis verbis ſcriptum, aut divinitus traditum non fuerit, habendum omne ſit ut verbum hominis. Nam qui dicit aliquid, ex quo aliud neceſſario ſequatur, utrumque dicit profecto. Ita & Dei verbum hac ratione percipiendum eſſe nemo non videt. Hoc ipſe agnovit Veronius, qui in Regula ſua ait: *cumque conſequens contineatur* virtualiter *in præmiſſis*, *neutiquam* formaliter &c. Quacumque ratione contineatur, ſemper continetur, atque ita ſane ut falſo conſequente verum non ſit antecedens, ex quo illud neceſſario evidenter conſequitur. Eccleſia ergo infallibilitatis munere donata in interpretando divino verbo, poteſt ipſa id ita proponere, ut ſit dogma Catholicum, quod ex aliqua Scripturæ ſententia neceſſario videat ſequi. Veronius ipſe initio, Regula nimirum ſecunda faſſus eſt, ineſſe Eccleſiæ auctoritatem declarandi & proponendi ut revelatum, quod in ipſa revelatione obſcurum eſt. Sed implicite in aliqua Bibliorum propoſitione continetur alia, quæ neceſſariam & abſolutam cum illa habet connexionem

nem; Ecclesia ergo illud tamquam revelatum & Catholicum Fidei dogma potest proponere. Et sane ex una aut duabus Scripturæ propositionibus Ecclesia consequutiones elicuit, proposuitque ut Catholica dogmata, quum ipsa definiit adversus hæreticos duas esse in Christo naturas hypostatice coniunctas, duasque in eodem & voluntates & operationes. Confirmari hæc possunt ex sententia Doctoris Ticinensis, qui sub nomine Theologi Placentini, in Epistola I. ad Episcopum Brixiensem scripsit: *Le verità della Fede sono unite strettamente tra loro, ed hanno varii rapporti, e sono fecondissime di altre verità che in esse contengonsi, come i frutti dell' albero nel seme, le quali poi sviluppate formano quel corpo di dottrina, che noi professiamo. Quindi non si attacca solamente la regola (cioè la Fede) quando si mette in dubbio un articolo in essa espressamente annunziato; ma quando ancora si nega una verità, che ha un necessario rapporto con quell' articolo, e da lui discende per necessaria conseguenza... Perciò veggiamo, che la Chiesa ha in tutti i tempi condannati coloro, che ardivano di combattere i principj della sua dottrina nelle conseguenze, e nei primi rapporti essenziali ai medesimi. Ciò che farà la Sposa di G. C. sino alla consumazione dei Secoli, dovendo essa conservare non lo scheletro solo, per così dire, e l' ossatura, ma il corpo tutto intiero e sano delle verità a lei confidate da G. C.*

Alia demum adiicienda his est observatio. Video enim a iuvenibus propositionem, quæ sit identica revelatæ, vel definitæ tamquam Catholicæ, confundi posse cum propositione, quæ deducatur aliqua ratione ex iisdem, sed reipsa diversa sit. Primi enim generis propositio certe Fidei Catholicæ est; altera autem vel non est, vel fieri potest ut non sit

ad

ad eamdem Fidem pertinens. Exemplum propositionis primi generis nobis suppeditat Veronius ipse in postrema sua Regula, de qua suo loco dicemus. Definitum nempe a Tridentino Concilio est, Ecclesiam esse iudicem de vero sensu & interpretatione Sacrarum Scripturarum; expresse vero definita non fuit ab eodem Concilio Ecclesiæ in hac re infallibilitas. Verumtamen hoc dogma esse fatetur Veronius; & dumtaxat licitum Fidelibus ait, abstinere ab hoc infallibilitatis vocabulo, quoniam a Concilio consecratum eo in loco non est: ait vero rem hoc vocabulo significatam esse de Fide, quod Ecclesia divinitatis instinctu in illis definitionibus numquam erret. Propositio igitur: Ecclesia est infallibilis in in iudicando de vero Scripturarum sensu: identica est Veronio teste cum altera Concilii, in qua illud vocabulum adhibitum minime fuit. Possem plurima alia afferre exempla, a quibus brevitatis gratia abstineo. Itaque videndum diligenter an proposito, quæ ex revelatis deducitur, sit vera illatio aliam reipsa diversam exhibens propositionem, an vero sit potius revelatæ propositionis legitima interpretatio; in hac enim altera hypothesi est eadem quoad rem, diversa quoad verba. Ita si ex una revelata aut definita propositione deducatur altera, quæ ita sit cum illa connexa, ut eadem absolute poni non possit, nisi hac posita & vicissim; videtur etiam altera revelata & definita. Quod si qua vere prudens intersit dubitatio de arctissima illa propositionum connexione; fateor utique necessariam Ecclesiæ definitionem ad Catholicum dogma ex altera propositione demonstrandum. Sed plerumque, & his præsertim temporibus opponi solent dogmatis definitis inutiles subtilitates, imo etiam difficultates, quarum puderet grammaticos ipsos.

RE-

REGULA IV.

Obſervandum proinde contra frequentes calumnias Molinæi, aliorumque*, Decretum Gratiani, *ſeu eius auctoritatem longe longius abeſſe, quod poſſit fundare articulum Fidei; videlicet nihil eſſe de Fide, qua continetur in illo Decreto.

ADNOTATIO.

Mimirum, ut recta ratio ſuadet, quod alias non conſtet eſſe de Fide Catholica; plura enim huiuſmodi tam in Decreto, quam in Decretalibus, de quibus poſtea agit Veronius, perſpicue continentur.

REGULA V.

Præterea nullæ Decretales Romanorum Pontificum contentæ in corpore Iuris Canonici, *ſive in ſex libris Decretalium, ſive in Clementinis, ſive in Extravagantibus, ac nullæ Bullæ poſteriorum, qui in ſede Petri ſederunt*, ſufficientes ſunt fundando articulo Fidei Catholicæ: *ſeu nulla doctrina eſt de Fide, qua continetur in iſtis Decretalibus, aut Diplomatibus. Probatur: quia Papa, quocumque modo loquens, etiam ex Cathedra, non eſt univerſalis Eccleſia; ergo quod ab eo proponitur, non proponitur ab Eccleſia univerſali; ergo non eſt doctrina Fidei Catholicæ. Addo, concluſionem hanc tam certam eſſe inter Doctoſes omnes, ut ſi quis contrarium doceret, Novator ipſe foret, & cenſura percellendus, quippe novi dogmatis inventor.*

ADNOTATIO.

Regula hæc illuſtrationem obtinebit a ſequenti alia Regula Veroniana, quæ diligenter eſt inſpicienda, & poteſt ex Eccleſiaſtica hiſtoria plurimum illuſtrari. Multa enim ſunt antiquis temporibus primum a Rom. Pontificibus ſtatuta, quæ poſtea ipſa œcumenica Concilia communi ſuffragio ut recta decrevere. Sed prætereunda heic non erant abs Epito-

ma-

matore illa, quæ Veronius ipse addidit ad suæ Regulæ explanationem, quæque ibidem conscripsit de Rom. Pontificum auctoritate. Ait enim, *non itaque dicimus*, sic definita, non esse de Fide, *quod putant adversi*; *sed solum dicimus & repetimus*, non esse de Fide Catholica, *seu non esse doctrinam*, *quam omnes*, *quo sunt Catholici tenere debeant* tamquam de Fide, cuius contrarium sit hæreticum, *& removens a gremio Ecclesiæ*. Miserrima nimirum his remanet consolatio (si tamen consolationis significatio superest) quod ipsi materialiter, ut ita dicam, non eiiciantur ab Ecclesia, a qua se ipsos spiritualiter, idest ex nobiliori parte separant, dum illud non credunt, quod credendum esse agnoscunt, etiamsi concepta formula definitum ab Ecclesia non fuerit. Prosequitur deinde Veronius: *Omnes nihilominus concedunt*, *gravis esse auctoritatis*, *quod a Pontifice tantæ Sedis docetur*, *etiam cum solo Concilio privato*, *& privatim solum rescribente aliquot Episcopis*; *gravioris*, *quod cum Concilio Provinciali*; *gravissimæ*, *quod ex Cathedra*, *toti Ecclesiæ illud proponendo*, *sive cum Concilio privato*, *sive in Concilio provinciali*; *temerariumque est*, *a sic pronuntiatis discedere*. Si hæc hæreticis, quos ad veram Ecclesiam pertrahere studebat, dicere non est veritus Auctor Regulæ Fidei; cur siluit eius Epitomator? Non modo timere visus est hæretici, sed etiam temerarii nomen; sed utinam silentio suo hanc effugiat apud quosdam recentiores censuram.

R E G U L A VI.

Ad hæc, non est de Fide Catholica, quod definitum foret in Concilio Provinciali, etiam Papa ei præsidente per se, vel per legatos. *Ratio est*, *quia tale Concilium non est Ecclesia universalis*; *quare quod ab eo proponitur*, *non proponitur ab Ecclesia*

uni-

univerſali; *non eſt ergo de Fide* Catholica; *niſi aliunde ſenſus totius Eccleſiæ conſtaret*, *ſicuti conſtat de multis pronuntiatis contra Pelagium*, *& alios in Conciliis Regionariis*, *ut vocat Auguſtinus*.

ADNOTATIO.

Sed ſanctiſſimus hic & doctiſſimus, atque a præiudiciis ſolutus Doctor Auguſtinus, pronuntiato a Romana Sede iudicio contra Pelagium, cauſſam finitam hac ratione fuiſſe clamat, licet duo dumtaxat, aut tria ad ſummum Provincialia Concilia Pelagium damnaſſent. Sed de mente Auguſtini circa Romani Pontificis in rebus Fidei auctoritatem, in peculiari diſſertatione adverſus alium Ticinenſem Doctorem forte diſputabitur. Nunc iterum in hanc Regulam obſervemus, omnia prorſus, quæ definita a Romana Sede fuere beatiſſimis illis antiquitatis venerandæ temporibus, omnia inquam probata ſemper ab univerſali Eccleſia fuiſſe; atque exortis quæſtionibus ad Fidem aut directe aut indirecte ſpectantibus, poſt tanta aliquarum peculiarium Eccleſiarum diſſidia, tandem in id omnes conſenſiſſe, quod primum fuerat a Rom. Sede conceptum atque ſtatutum. Poſterioribus etiam temporibus idem præſtitum eſſe negaverit tantum, qui veritati infeſſimum indicit bellum, quando ipſa veritas honori eſſe poſſit Rom. Sedi.

REGULA VII.

Inſuper non omnes praxes Eccleſiæ, etiam univerſalis, ſunt ſufficientes fundando articulo Fidei Catholicæ. *Probatur ex defectu ſecundæ conditionis*; *quia praxes hæ non ſunt propoſitiones factæ ab Eccleſia veritatis alicuius credendæ ſed rei faciendæ*. *Ac veriſſimum quidem eſt illud Auguſtini ep.* 54. *al.* 118. Si quid tota per orbem frequentat Eccleſia, hinc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ in-

saniæ est. *Sed non inde sequitur, Ecclesiam per talem praxim proponere tamquam credendum de Fide Catholica aliquod dogma; nam sufficit praxim esse bonam. Regula autem praxeos bonæ potest esse opinio non indubitata; unde fit etiam, ut praxes has posset mutare Ecclesia.*

ADNOTATIO.

Hæc sunt examini subiicienda ex pondere rationum, quæ omnium animis vim possint inferre, sicuti Epitomator silentio suo, quo Veroni argumenta præteriit, contra magnopere curavit. Distinguenda ergo heic mihi videtur primaria Veronii propositio; nimirum non esse fundamentum Catholicæ Fidei universalem aliquam Ecclesiæ praxim, si ipsa praxis consideretur iu hypothesibus singularibus, quæ universalem praxim constituunt; esse vero, si præcipua mens Ecclesiæ consideretur, ex qua nascitur ipsa praxis, sive si perpendatur generalius illud principium theoreticum, ex quo orta est in Ecclesia spiritualis ac religiosa aliqua consuetudo. Exemplo rem illustrabo, ne in metaphysicis ideis consistentes obscuritatem patiantur aliqui Theologiæ auditores. Est universalis Ecclesiæ mos orandi pro defunctis, ut a pœnis peccato debitis solvantur. Aio ego: non est Fides Catholica, quod quælibet Ecclesiæ pro defunctis oratio eosdem ab iis pœnis liberet; est tamen Fides Catholica, quod Ecclesiæ eiusdem orationes pro illis effusæ habeant vim eosdem adiuvandi, ut definiit Concilium Tridentinum. Nam dogma Catholicum est, quod in Macchabæorum libris continetur: *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis*, idest peccatorum temporalibus pœnis *solvantur*. Ad rem vero addit Augustinus in libro *de cura pro mortuis gerenda: Sed non parva est universalis Ecclesiæ, quæ in hac con-*

consuetudine claret auctoritas ; ubi in precibus Sacerdotis , quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur , locum suum habet etiam commendatio mortuorum . Secus aliquid prosus inutile, imo & perniciosum efficeret Ecclesia universalis ; quod est maximum absurdum , repugnas principiis , quæ habet Ecclesia in suo spirituali regimine . Quod si illud principium in aliis consuetudinibus nolint esse ex Fide Catholica ; saltem concedant oportet , esse certissimum ; est enim principium approbatum semper , constanter , & ubique in Ecclesia . Præterea celeberrimum est illud S. Cælestini monitum : *Legem credendi lex statuit supplicandi* . Rursus S. Augustinus adversus Pelagianos recte demonstrat Catholicum dogma de necessitate gratiæ ex more Ecclesiæ Catholicæ precibus suis a Deo hanc gratiam petentis . Denique pervulgatum & validissimum est illud Augustini lib. 4. contra Donatistas : *Quod universa tenet Ecclesia , nec a Conciliis institutum , sed semper retentum est , non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur .* Quod denique Ecclesia praxes illas , de quibus in Regula sermo est , mutare possit ; non inde sequitur , easdem inniti opinionibus non indubitatis . Nam idem semper spiritus disciplinæ in Ecclesia est , nimirum salus spiritualis eorum , qui in Ecclesia sunt , quique habent , vel habere possunt cum ipsa relationem . Manente hoc spiritu , mutatis rerum circumstantiis , oportet ut praxes quoque Ecclesiæ mutentur ; secus mutaretur Ecclesiæ spiritus ; quod maximum pariter est absurdum . Ut autem in allato exemplo consistamus ; quoniam idem semper est principium, veluti axioma, quod orationibus Ecclesiæ juvari possint Fideles in charitate defuncti ; ideo mutari quidem poterunt variæ circumstantiæ ad effundendas ejusmodi preces , numquam vero mutari adeo

 po-

poterit praxis illa in aliam alterius omnino generis, ut consuetudo eadem amplius in Ecclesia minime obtineat. Sed pergamus ad eam Veronii Regulam in Epitome positam, quæ offendiculo fuit quibusdam negantibus aliquod Ecclesiæ dogma.

REGULA VIII.

§. I. *Aliquando Ecclesia, etiam in Conciliis generalibus, prohibet disputationem de aliqua re, quam nondum tamquam dogma Fidei definivit: quo in casu nihil jubet credendum de Fide, aut vitandum tamquam errorem contra Fidem Catholicam.*

ADNOTATIO.

Attamem prohibita est ea de re disputatio, & gravissime contra Ecclesiæ præceptum, peccat, qui eidem non paret. Agitur hic de doctrina; qua in re errare non potest Ecclesia vetans disputationes hujusmodi. Ut autem infra videbimus, Veronius ipse hanc obedientiam Ecclesiæ præstandam affirmat, licet Ecclesia in præceptis omnibus infallibilitate non utatur.

In aliis autem quæstionibus, quibus ipsa silentium non imposuit, sed intactas post examen reliquit, non adimit quidem Theologis facultatem de iis disputandi; adimit tamen semper privatis auctoritatem definiendi, tamquam dogma id, quod ab ea definitum non est, ac tamquam hereticos traducendi illos, qui alterutram adamaverint partem. Utrum Theologi cujuscumque studii, sive scholæ id observent, viderint ipsi. Sequitur in Regula:

§. II. *Interdum quoque Ecclesia in ipsis etiam œcumenicis Conciliis suam definitionem confirmat testimoniis, ex quibus aliqua non efficaciter eam probant. Unde generaliter dicimus, eorum, quæ continentur in quovis Ecclesiæ vel Conciliorum generalium canone, aut capite*, in quo Catholica doctrina *traditur, id so-*

solum & totum esse de Fide, quod definitur, seu ut loquuntur Juristæ, solum dispositivum Arresti, seu contenti in capite, aut canone, est de Fide; motivum vero Arresti, seu eius probationes, non sunt de Fide. Ratio est; quia primum solum proponitur credendum, & proprie definitur; non autem motivum, seu probatio.

ADNOTATIO.

Si loquamur tantum de *motivo*, ut ait Veronius; hoc proprie non est probatio, sed remota quædam dispositio, quæ Patres movere potuit ob rationes nobis incompertas. In ipsa saltem orali Traditione potuit hæc ratio latere; proinde non est, cur in his detineatur Theologus. Quod vero ait Veronius, a Conciliis quandoque confirmari definitiones testimoniis, quæ illam efficaciter non probant; velim ut animadvertant Theologiæ auditores illud *efficaciter non probare* sumendum in eo sensu esse, quod non demonstret omnino, juxta usitatas a scholasticis logicas leges, identitatem propositionis definiendæ cum testimonio ad eam definiendam adhibitio. Verum quod deest ex hisce usitatis logices regulis, id suppletur a Traditione, quam norunt Patres in Conciliis œcumenicis congregati; adeo ut si nil omnino deesset ad illam identitatem propositionis & testimonii, inutilis prorsus foret Ecclesiæ definitio, quæ tollat dubitationem, vel quamcumque a Scripturæ testimoniis obscuritatem. Si consulamus, quæ fuere semper in nostra Religione dogmata, quæque contra hæreticos definita clarius sunt ab Ecclesia, videbimus sane haud raro Scripturæ testimonia ad probationem adhibita, eius generis esse, quod commemorat Veronius. Exempli loco illa Christi propositio: *Pater major me est*, per se ipsa juxta logicam methodum non significat minoritatem, ut ita barbare dicam, Filii

quoad naturam humanam ; ita & alia *Ego & Pater unum sumus* per se non definit hujus unitatis proprietatem, utrum nempe sit unitas voluntatis & consensus, an etiam substantiæ & naturæ. Attamen, Traditione accedente, prima Christi propositio minoritatem ejus commostrat quoad naturam humanam; altera vero naturæ cum Patre unitatem; atque hinc, præter plura alia Scripturæ testimonia, duarum in Christi persona naturarum unio demonstratur. Ut ergo Theologus definiat, aliquod adhibitum a Conciliis fuisse ad definitionis probationem testimonium, quod per se *efficaciter* illam non probet, oportet sane, ut antea præ oculis habeat omnem de illa re Traditionem scriptam; ac præterea etiam fortasse, si possit, oralem, ut certam proferre possit sententiam. Prosequitur in Epitome alia Regulæ pars

§. III. *Hinc plurima continentur in Conciliis etiam universalibus, quæ non sunt de Fide, scilicet quod in illis est* obiter *dictum; multo minus in sessionibus a variis Prælatis, dum sententiam dicunt prolatam; multo adhuc minus, quæ a Doctoribus in discussionem rei definiendæ præmittuntur, aut allegantur. Ratio generalis est, quia nihil eorum definitur ab Ecclesia.*

ADNOTATIO.

Adeo perspicua est hujusmodi Regula, ut mirum maxime sit, aliquos nomine Theologos eadem hisce temporibus abuti, ut quamcumque Ecclesiæ definitionem, quæ partibus eorumdem non faveat, destruere omnino, ac in nihilum redigere tentent. Hæc enim omnia *obiter* a Conciliis definita ridiculis quibusdam ratiunculis ostendere student. Verum quod, juxta Veronianam Regulam optima ratione innixam, exponitur vel in capitibus vel in canonibus Conciliorum tamquam Catholica doctrina, idest verbis & formulis significantibus Patrum mentem tradendi Ca-

tholica dogmata, & damnandi errores hisce dogmatis repugnantes; id omne non *obiter* sed *definitive* dictum si non intelligas, nihil sane intelligis. Exemplo hanc probrosam recentiorum artem commonstremus. Quidam Theologi recentiores, ut explicent Tridentinum canonem, quo definitur, Ecclesiam posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, ajunt in eodem canone positum Ecclesiæ nomen non solum obiter, sed præter mentem Concilii; quia nempe canon, inquiunt, est contra Lutherum negantem omni potestati eam auctoritatem. Sed falsum evidenter demonstravit Petrus Deodatus in libro inscripto *Defensio Tridentinorum Canonum* &c. adversus Launojum, Tamburinium, Nestium &c. cap. III. §. VII. & seq. ex Lutheri diversis scriptis eum fuisse hæresiarchæ errorem; ostendit nimirum hunc hæresiarcam aperte negasse dumtaxat Ecclesiæ auctoritatem illam. Deinde videat quisque latinæ linguæ noverit elementa, ridiculam (sit venia verbo) illorum scriptorum interpretationem. In eo nempe canone nomen Ecclesia est substantivum sive subiectum propositionis, cui in eodem tribuitur auctoritas illa; attamen si hosce scriptores audias, illud subiectum positum est in canone, veluti obiter, & *adiectum* est præter finem, quem sibi proposuerant Concilii Patres. Si hoc concedas, quid in canone remanet, nisi ineptia, nisi mendacium. Scio quidem, eosdem auctores quæsiisse alios anfractus viarum, ut a sensu genuino canonis aufugerent; sed eadem perspicuitate, evidentia, ac robore omnes a Deodato obstructæ sunt illis viæ, ut ne verbum quidem possint iterum opponere veritati tam firmiter, tamque evidenter demonstratæ; nisi, ut fuit mos aliorum Fidei hostium, velint, quod non arbitror, iniurias & verba sensu omnino vacua, licet cum apparenti qua-

dam sermonis gravitate & energia effutire. Sed progrediamur ad graviorem, quæ postrema est Veronianæ Regulæ partem, ex qua conatus est anonymus quidam Mediolanensis auctor libri *del diritto di stabilire impedimenti dirimenti il Matrimonio &c.* hanc eripere Ecclesiæ auctoritatem. Inquit Veronius in compendium redactus

§. IV. *Imo ut assertio aliqua, ab Ecclesia* definita per Concilium œcumenicum *credi debeat de Fide Catholica, hæc requiruntur*: 1. *Ut Concilium rem illam definierit* proprie tamquam decretum *Fide Catholica tenendum*. 2. *Ut illud sit definitum* conciliariter, *idest more aliorum Conciliorum, re diligenter examinata*. 2. *Ut concilium loquatur* per modum definientis *rem controversam, & non tantum* simpliciter & obiter *id asserat*. 4. *Ut res illa sit* definibilis de Fide; *cujusmodi non sunt doctrinæ, quæ studia spectant Legum, aut Philosophiæ*.

ADNOTATIO.

Pauca verba rem continent gravissimam. Dicam primo aliqua de Regula ipsa; tum responsa afferam Mediolanensi scriptori. Prima conditio optima est; sed illustrationem aliquam desiderat. Nimirum necesse non est, ut in illis Veronii verbis materialiter consistat Theologiæ studiosus, quasi Concilii Patres dicere debeant, se rem aliquam definire, *proprie tamquam decretum Fide Catholica tenendum*. Satis est, ut eosdem animi sensus aptis aliis verbis exprimant. Id autem præstare solent, ut paullo infra dicemus, affirmantes se, exterminare hæreticorum errores contra Ecclesiæ doctrinam propositos, eosque anathematismis convellere; quod idem faciunt verbis demonstrantibus, damnare se eorumdem doctrinam. Ecclesia enim anathematismis non damnat nisi doctrinam repugnantem illi, quæ a Christo per verbum

bum scriptum aut traditum accepit, tamquam Fidei Catholicæ depositum. Secus erraret universa Ecclesia; quod maximum est absurdum. Cum prima convenit conditio tertia, in eo quod debeat Concilium declarare, quod tradat doctrinam catholicam; quod enim pertinet ad controversiam definiendam, necesse semper non est, ut hoc exprimatur a Concilio, statim ac loquitur iis formulis, quæ significant ex natura sua, aliquam Fidei definitionem. Secundæ conditionis cognitio non videtur Catholico necessaria, statim ac noverit aliquid ab oecumenicis Patribus definitum; neque enim materia omnis Fidei flagitat examen, quum errores damnandi aliquando adeo aperti sint, ut sufficiat eosdem inspicere, ut appareant clare veritati catholicæ repugnantes; deinde vero si id inquirendum a Catholico esset, forte nunquam Conciliorum definitionibus aquiesceret; suspicari enim posset, nec diligenter nec legitime fuisse institutum de damnando errore examen, ac mille alias ineptas subtilitates possent inquieti quidam Catholici adversus difinitionem illam objicere. Ultimæ vero conditionis notio necessaria est Patribus definientibus, non autem Fidelibus. His enim scire oportet definitum aliquod dogma tamquam Catholicum ab Ecclesia, non autem examini debent subjicere materiam definitam, an ea spectet ad Ecclesiæ auctoritatem. Ecclesia enim universalis si errare posset in materia definitionum, jam amplius non esset ad Christianæ Reipublicæ bonum utilis, imo perniciosa quammaxime ejus auctoritas. Sed hoc latius postea.

Audiamus nunc Mediolanensem auctorem. Ait ipse canones Concilii Tridentini de auctoritate Ecclesiæ in dirimentia Matrimonium impedimenta non esse dogmaticos, & quum denique Principi adscribat auctoritem illam, atque Ecclesiæ eam deneget, nullos & irritos decernat oportet eosdem canones. Suam ille opinio-

nionem verosimilius sequendam censet, quod juxta Veronianas Regulas non videntur illi canones continere catholicum dogma. Primo inquit, quod Tridentini Patres, dum eos canones promulgarunt, non declaraverint esse dogmaticos. Verum tam in Veroniana Regula, quam in ejus epitome statutum est, mentem Conciliorum declarantium aliquod dogma, tam ex capitibus, quam ex canonibus esse percipiendam; ex utrisque autem intelligitur ut Catholica veritas definita a Concilio auctoritas propria Ecclesiæ in statuendis Matrimonii impedimentis. Patres enim initio sessionis XXIV. inquiunt: *Universa Synodus ... insigniores ... schismaticorum hæreses & errores, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos hæreticos, eorumque errores decernens anathematismos*. Sequuntur canones, quorum primus infligit anathema in eos, qui dixerint Matrimonium non esse unum ex septem novæ legis Sacramentis. Eisdem formulis concepti sunt canones doctrinales de potestate Ecclesiæ in Matrimonii impedimenta. Ergo & illi sunt dogmatici; secus tot generalium Conciliorum canones dogmatici inutiliter, imo & cum maximo Religionis detrimento fuissent ab Ecclesia promulgati.

Altera Regulæ conditio est, ut quod definiendum est, definiatur *conciliariter*, re diligenter examinata. Haec vero conditio, tangit Patres in Concilio coactos non autem Fideles, quibus a Concilio aliquid proponatur tamquam Catholicæ Fidei dogma. Statim enim ac Concilii Patres aliquid hac ratione proponunt, Fidelibus incumbit onus præstandi dogmatis definitis Fidem. Si enim Ecclesia in Concilio oecumenico coacta proponere posset tamquam dogma, quod hujusmodi non esset, jam erraret, contra infallibilem Christi ejus institutoris promissionem. Ergo statim ac propositum est aliquod hujusmodi a Concilio, existiman-

mandum certo est a quolibet Fideli, Concilium adhibuisse ea media, quæ ad definiendum sunt necessaria. Utrum vero hoc an illud medium sit in hunc finem necessario adhibendum, noscit Ecclesia ipsa infallibiliter; secus si non haberet infallibilitatis donum in hujusmodi mediis dignoscendis; profecto nec eam obtineret in ipsis dogmaticis definitionibus. Si alia habere præ oculis voluerint Fideles ut necessaria, antequam definitionibus Conciliorum fidem adhibeant, actum de omnibus definitis dogmatis esse poterit. Subtiliora enim & irrequieta ingenia, si desit Concilii alicujus historia, dicent se nescire an diligenter & conciliariter definita sint dogmata; quod autem ipsi ignorant, non posse existimari dogma, cujus fundamentum ipsi non habent. Si historia adsit; hæc scripta est ab auctoribus humanis, qui habent probabilitatem quandam, forte moralem etiam certitudinem, nunquam vero divinam. Vel eadem conscripta supponitur ab ipsis Patribus Concilium constituentibus; at nisi pro dogmate historiam ipsam definierint, dicent illi, se non teneri ad fidem ipsi adhibendam; quum vero historia sit de actis in Concilio, non autem excerpta eadem sit ex Verbo Dei tradito vel scripto, concludent nunquam esse in promptu nobis posse certissimam de Concilii actis adeoque de diligenti examine a Patribus adhibito. Ita partim recte, partim pessime ratiocinari possunt hujusmodi Thelogi. Namque & si certi de Ecclesiæ, ac propterea de œcumenicorum Conciliorum infallibilitate simus, attamen non nisi ex humana historia noscere possumus dogmata a Conciliis definita.

Atque hæc quidem satis demonstrant, sufficere cuique Catholico viro, ut sciat aliquid abs œcumenico Concilio propositum tamquam Fidei dogma, ut eidem assentiri ex Fide teneatur. Veruntamen paucis videamus

mus

mus, quodnam ab eodem Concilio instituendum sit examen, dum de aliqua propositione nata est quæstio, utrum ad Catholicæ Fidei dogma eadem pertineat. Ergo quoniam Ecclesia nullum inducit unquam novum dogma Fidei, sed tantummodo declarat ea, quæ in suo habet doctrinæ deposito, hinc intelligimus, opus esse Patribus Concilii, ut inquirant dumtaxat, utrum in hoc deposito, Scripturæ nimirum & Traditionis, contineatur ea, quæ inquiritur propositio, aut ejus contradictoria: quod perinde omnino est ad definiendam veritatem. Ecclesia igitur in hac inquisitione infallibilis est, ac propterea infallibili facultate intelligit sensum verborum Scripturæ et Traditionis, ut possit propositionem aliquam Fidelibus commonstrare, quæ mereatur omnino Fidei assensum. Quoniam vero Ecclesia est mater benigna, quæ omnibus utitur mediis ad errantes in veritatis viam revocandos, hinc patienter audit errantium rationes, vel permittit etiam, ut Patres & Theologi, qui ad Concilium accessere, rem investigent objectis rationibus, quæ videantur propositæ veritati repugnare, ut solutis hujusmodi contrariis argumentis facilius errantes veritatem amplectantur. At si ipsi minime aquiescant, de hac re sollicita esse nequit Ecclesia, cui satis est inquisiisse, & proposuisse existentem in suo deposito propositionem. Quamobrem eiecti a Fidelium cœtu sunt pertinaces in errore, ii nimirum, qui nec de rationibus persuasi fuere, nec de existentia dogmatum, quæ ab Ecclesia infallibiliter proposita est. Hac de re amplior factus est a P.Deodato sermo in libro inscripto: *Nuova difesa de' Canoni Trentini* de Matrimonii impedimentis Prop. IV. §. IX. & seqq. sicuti & de aliis, quæ infra adnotamus.

Simili ratione explicanda est Regulæ illius Veronianæ conditio tertia; quod nempe Ecclesia loqui de-

debeat *per modum definientis rem controverſam*. Nimirum neceſſe primum non eſt, ut in quolibet canone declaret Eccleſia, ſe rem quæſtioni antea ſubjectum definire, ſed ſatis eſt, ſi vel initio cujuslibet Seſſionis, vel etiam initio Concilii hanc mentem ſuam propoſuerit. Verum neque hæc declaratio flagitari a Concilio poteſt veluti neceſſaria, qua ſcilicet deficiente non exiſtimetur dogma Fidei veritas illa, quam Eccleſia ut Fidei veritatem ſolitis formulis commonſtrat. Nam utile quidem ſæpe eſt audire errantium argumenta, at neceſſarium tantummodo eſt, ut Eccleſia judicet de dogmatis exiſtentia. Hac ſeu cum examine ſeu ſine examine cognita, definire infallibiliter Eccleſia poteſt dogma aliquod, quin detineatur in confutandis errantium argumentis. Secus definita nunquam foret Catholica veritas, quum damnati à Conciliis generalibus hæretici nova ſemper ac nova protulerint in ſuam perniciem ſophiſmata. Attamen Tridentini Concilii Patres & initio, & in Seſſionum prolegomenis ſe ad examen revocaſſe ajunt res controverſas, quas ut dogmata definiere.

Demum quarta Veronianæ Regulæ conditio eſt, ut res a Concilio definita ſit, *definibilis de Fide*. Conditio hæc primo loco erat recenſenda: ceteræ namque conditiones, hac deficiente, inutiles plane ſunt. Sed hoc prætermiſſo ipſam conditionem perpendamus. Hæc vel reſpicit Patres definientes, vel ſimul etiam Fideles, quibus definitio ipſa proponitur. Si de Patribus loquamur, de Eccleſia ipſa loquimur. Hæc ſi infallibilis eſt in definiendis rebus Fidei, infallibilis quoque eſt in dignoſcendis, quæ ad Fidem pertineant; ſecus actum de ejus infallibilitate erit. Supereſt ergo tantum ratio proponendi definitionem ipſam; quod quidem reſpicit Fideles, in veritate Fidei docendos. Si hæc iis formulis propoſita ſit, quibus commonſtrari debet Eccle-

ſiæ

siæ non quodcumque præceptum, quod ad disciplinam revocari possit, sed quibus demonstratur Fidei doctrina, jam inutilis & damnanda maxime est dubitatio, & quævis suspicio, utrum res sic definita sit definibilis de Fide, nempe utrum definiri ab Ecclesia potuerit tamquam Fidei Catholicæ doctrina. Jamvero canones dogmatici a disciplinæ præceptis in eo distinguuntur quod isti aliquid præcipiunt, aut vetant faciendum, dogmatici autem demonstrent & jubeant aliquid ex divina Fide credendum; quod sane ex antea positis initio Concilii aut Sessionum, atque ex consueta formula, *si quis dixerit &c.* aut simili alia clarissime intelligitur. Damnata enim hisce formulis propositione aliqua, ut hæretica, constat statim evidentissime de alia, quæ illi contradictoria est, nimirum de Fidei Catholicæ veritate. Inane ergo habuit ille Mediolanensis auctor in Veronianis Regulis fundamentum adversus Ecclesiæ auctoritatem constituendi coniugiorum impedimenta. Quare progrediamur. In epitome Veronii est

REGULA IX.

§. 1. *Decretum præterea, quo dogma aliquod Fidei statuitur, debet esse* universale, seu proponi *toti Ecclesiæ : quia in præceptis & judiciis particulasibus non est absurdum, etiam Concilia Generalia errare.*

Hoc Veronius Cap. I. art. 4. §. IX. expressis verbis ex Bellarmino desumpsit, qui non generale Concilium nominat, sed tantum Rom. Pontificem. Ipse autem Veronius plurima, quæ de Rom. Pontifice scripsit Bellarminus, de œcumenicis Conciliis secure dicit (nec satis probat) sicuti & cetera, quæ huic Regulæ IX. in epitome subjiciuntur, quæ dicta tantum a Bellarmino sunt de eodem Rom. Pontifice. Hunc autem qui infallibilem agnoscunt ex vi Primatus, qui institutus a Christo est, ad Fidei unitatem obtinendam,
infal-

infallibilem tantum dicunt, quum ex cathedra, sive Ecclesiæ universæ aliquod proponit tamquam Fidei dogma.

§. 2. *Ipsa etiam generalia Concilia errare possunt* facto *non* dogmate. *Errare ergo possunt* malo exemplo, *non* falsa doctrina.

§. 3. *Et in* quæstionibus juris *errare quidem non possunt, possunt tamen in* quæstionibus facti, *quæ ex informatione testimonisque hominum præcipue pendeat*.

ADNOTATIO.

In factis dogmaticis, sive in damnatione alicujus doctrinæ, quæ in aliquo libro contineatur, nimirum in eo judicio, quo definiatur haec vel illa doctrina contenta in hoc vel illo sermone, seu libro, infallibilem esse Ecclesiam evidens est. Secus Ecclesia non haberet facultatem commonstrandi aut bona, aut mala pascua, quæ sequi vel fugere debeat Catholicæ Religionis sectator. Hanc vero Ecclesiæ infallibilitatem non solum longiore oratione demonstravit Bolgenius in egregio opere dei *Fatti dommatici*, sed ante hunc paucis doctisssimus auctor Gallus, doctrinæ ut ajunt Gallicanæ addictissimus de Pey in libro *dè l'autorité des les deux Puissances*.

De ceteris factis, de quibus Veronius loquitur, non est cur plura dicamus. Satis sit animadvertere ut deinde ex ipso Veronio probabimus. Quod si definitiones de hujusmodi factis aliquod imponant Fidelibus præceptum, tenentur ipsi Ecclesiæ jubenti obtemperare: idque ex severioribus, quas sequi se verbis saltem profitentur recentiores quidam Theologi, morum regulis. Si namque non potuit Ecclesia tot adhibitis cautionibus facti veritatem assequi, quis ex privatis id sibi sumat ut possit, quod non potuere tam multi, iique de Ecclesiæ bono ex munere suo tam solliciti? De excomunicationibus idem dicendum cum Veronio, cujus paul-

lo poſt afferemus loca in Epitome prætermiſſa. Sequitur namque in Regula

§ 4. *Neque abſurdum eſt dicere, ejus generis Concilia poſſe errare in legibus, quæ non verſantur in rebus neceſſariis ad ſalutem; vel per ſe bonis aut malis, nimirum ſuperfluam legem condendo, vel minus diſcretam &c. ita ut jubeant aliquid, quod non eſt bonum neque malum ex ſe, neque contra ſalutem, ſed tamen eſt inutile, vel ſub pœna nimis gravi illud præcipiant.*

A D N O T A T I O.

Hæc pariter deprompſit ad verbum Veronius Cap. I. art. 4. §. XI. ex Bellarmino, qui non de œcumenico Concilio, ſed de Romano Pontifice habet ſermonem quique tamen addit: *Non poteſt fieri, ut Pontifex erret præcipiendo aliquod vitium, vel aliquid contra ſalutem ... vel prohibendo aliquid neceſſarium ad ſalutem:* quæ de generali Concilio dixit Veronius. Verum quis ſibi unquam ſuadeat, œcumenici Concilii Patres, ideſt univerſam Eccleſiam errare poſſe tradendo legem aut inutilem, aut nimis aſperam? Quis ſibi poterit judicium vindicare de lege, quam Eccleſia univerſa ſanciendam exiſtimaverit? Num videt aliquis circumſtantias prorſus omnes, in quibus Eccleſia neceſſariam, utilemve putavit legem aliquam? Arbitror igitur regulam illam ab utroque ſcriptore Veronio & Bellarmino nimis metaphyſice excogitatam, quod nimirum præ oculis habuerint, ille quidem Eccleſiæ, hic autem R. Pontificis infallibilitatem in rebus ad ſalutem neceſſariis dumtaxat, in quibus errare non poſſint, poſſint autem in aliis ſine neceſſariæ infallibilitatis defectu. Ceterum quamvis Bellarminus & Veronius metaphyſice poſſibilem exiſtimaverint aliquam R. Pontificis, & Concilii œcumenici legem inutilem, aut nimis aſperam; attamen quod ait Bellarminus, idem ſcripſit ex eo Veronius, nimirum inquit, non eſt *ſubditorum hac de*

re

re dubitare. sed simpliciter obedire. Aurea autem hæc verba, quasi nimium effecissent molem epitomes, in eam translata ab Epitomatore non sunt. Videant ergo iuvenes Theologiae studiosi, quam ipsi habeant apud suos Magistros existimationem, qui detruncatas atque corruptas auctorum sententias eisdem exhibere non verentur. Sed paullo post habebunt simile aliud fraudis argumentum in ea, quæ in epitome sequitur

REGULA X.

§ 1. *Addendum denique, quod etsi Concilium œcumenicum expresse declaret in Indulgentiarum dispensatione se moveri propter talem caussam, quam reputat sufficientem ad tantam Indulgentiam conferendam, non esset infallibile vel* caussam esse talem, *vel (quod consequens est) totam Indulgentiam esse validam: quia talis declaratio non est de doctrina ad fidem pertinente, sed potius de facto particulari: ut similiter in dispensatione voti &c.*

ADNOTATIO.

Regulam hanc protulit Veronius Cap. I. art. 4. §. XIII. ex Suaresio, qui metaphysice loquitur tantum de Romano Pontifice; eam autem Veronius extendit ad Generale Concilium. Sed prudens Veronius addidit ea, quæ in hanc rem habet Suaresius; quæque ut saltem inutilia, prætermisit Epitomator. *Nunquam tamen* inquit ille, *existimo expedire, imo nec posse absque scandalo & imprudentia fieri, ut aliqua Indulgentia particularis, quam constat esse a Pontifice concessam, publice denuntietur esse nulla, aut superflua* (ut nimirum recentiores quidam sanæ, seu falsæ doctrinæ Magistri facere solent) *quia id moraliter loquendo est inutile, & contra reverentiam Pontifici debitam.* Quinimo prudentior adhuc Veronius omissas ab Epitomatore affert rationes validiores. Inquit enim: *obediendum legibus & præceptis, etiam sub excomunicatione latis, & qui non obediret, peccaret, & incurreret excomunicationem, licet*

licet in iis ferendis possit errare Pontifex eo modo, quo diximus , nec sit proinde de Fide non errare ; quia alia est regula fidei , quæ infallibilis debet esse , & est ; alia regula legum , ad quas ferendas , ut obbligent , hæc infallibilitas non requiritur : sola sufficit auctoritas in præcipiente rem , quam judicat esse bonam &c. imo quum juxta omnes Theologos præsumptio sit pro Legislatore , ait *generaliter deferendum esse plurimum in omnibus , superiorum tum judicio , tum voluntati , cuivis cordato & prudenti constat ratione ipsa naturali hoc dictante , in primis vero ipsa Scriptura sacra* Matth. XVIII. 17. ad Hebr. XIII. 17. &c. Quamvis autem Veronio cordi esset, commonstrare hæreticis *solam secretionem doctrinæ Fidei a quavis alia* ; attamen noluit animadversiones supra descriptas omittere , quas ad Catholicorum juvenum institutionem necessarias lubentissimus prætermisit Epitomes Veronianæ auctor .

§. 2. *Quare etiam longe longius abest* esse de Fide *hanc vel illam excomunicationem esse validam . Vide S. Augustinum lib. de* vera Religione *num.* 2.

A d n o t a t i o .

Nudam hujusmodi Regulam illustravit Veronius , ut patet ex antea dictis , ne in praxi detrimentum aliquod perciperent Christiani . Monuit nempe incurri excomunicationem , etiam si de Fide non sit, eam validam esse . Quod confirmari ex Evangelio potest . Noverat siquidem Chsistus Dominus ad ferendam in aliquos excomunicationem , facto opus esse , quod revelatum non est : attamen præcepit , ut qui Ecclesiam non audiret , ex ea rjiceretur tamquam ethnicus & publicanus . Quare Evangelica doctrina est , quam tradidit in admonitione sua Veronius , cujus sententiam, num fraude prætermisit Epitomator?

Suspicionem & si satis ex pluribus aliis ab eo prætermissis firmare possimus , auget tamen magis magisque

sque textus Augustini indicatus ab Epitomatore, quem non video ab ipso Veronio indicatum in sua Regula apud Walemburgenses. Augustinus ergo affirmat quosdam etiam bonos viros ob turbulentas carnalium hominum seditiones ejici abs Christiana congregatione: sed eos ut bonos hoc patienter tolerare, nec conventicula cogere, nec perturbare Ecclesiæ doctrinam & pacem. At Veronius, qui hæc optime noverat, indicavit potius, ac verbis suis comprehendit M. Gregorii de hac re doctrinam. Hic enim homil. XXVI. in Evangelia de excomunicationis sententia a Pastore lata inquit: *Vtrum juste an injuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est: ne is qui subest, & quum injuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur .... Is qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel injuste, nec pastoris sui judicium temere reprehendat, ne & si injuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.*

Transit Cap. II. suæ Regulæ Veronius ad peculiaria doctrinæ Catholicæ capita, eaque ex amplissimo Tridentino Concilio hausta primum describit, ut in eo sunt definita expresse; tum vero longiori sermone studet demonstrare illa, quæ non sint Fidei Catholicæ dogmata, utpote non definita ab Ecclesia, & quorum diversæ habentur plerumque doctorum Catholicorum opiniones ac sententiæ. Epitomator vero, ut forte consuleret brevitati, indicavit fere semper dumtaxat loca Tridentini Concilii, ex quo hauriendum sit a juvene theologo, quod ipse ignorat definitum dogma ab eo Concilio. Dum autem Epitomator juvenem alloquitur ignorantem dogma Catholicum, totus est in commonstrandis eidem, quæ habenda non sint nostra dogmata, excludendo etiam ab his eas, quæ apud doctores moraliter sunt certæ sententiæ. Itaque ex hac Epitome

illud sequitur, ut si qui juvenis imprudenti quodam libertatis amore teneatur, ac sesse expedire a graviorum doctorum sententiis magnopere cupiat, id facile obtineat, quum ipsi grave sit pervolvere ad singula Tridentini Concilii paginas, & quum sub oculos non habeat in eadem Epitome ejusdem Synodi canones, in quos sæpe vel invitus incideret. Quum vero videat tantummodo hæc vel illa non esse de Fide Catholica definita, inter quæ certe sunt ea etiam, quæ proxime ad Fidem ipsam accedunt, ut sunt plurimæ propositiones, quæ necessario nexu cum Fidei articulis copulatæ sunt; hinc illi Theologo auditori evanescant oportet propositiones hæresi proximæ, ac similes aliæ plures, a quibus Christianorum aures abhorrere ob proximum hæresis periculum debent. Ita sane juvenum educationi consultum egregie est, ut amplissimam sibi vindicent & perniciosissimam cogitandi loquendique de rebus Fidei consentaneis libertatem. Addendum etiam, quod quorumdam dogmatum, quorum verba a subtilioribus Ecclesiæ inimicis in hunc vel illum sensum per vim etiam rapiuntur, & quorum veram significationem commonstrat Ecclesiæ universalis consuetudo, eorum inquam dogmatum, si ad nuda verba tantum respiciatur, ita perturbetur significatio, ut vel nulla ferme eisdem remaneat, vel etiam ad alienum sensum prorsus detorqueatur. Quamobrem non iisdem nudis verbis institendum est, sed generatim primo principiis certis de natura Ecclesiastici regiminis ac deinde considerandus est Conciliorum atque sessionum contextus, quandoque etiam, non ex necessitate, sed ad majorem quamdam illustrationem inspicienda erit Conciliorum & canonum dogmaticorum historia. Dixi non ex necessitate, secus enim oporteret habere Conciliorum historiam, quæ communi totius Ecclesiæ suffragio probata esset; quam Ecclesia necessa-

riam

riam non putat ad Christiani populi Fidem.

Hæc generatim dicta sufficiant. Pergamus nunc ad peculiaria dogmata, quæ recenset Veronius, & ex eo Epitomator; quæ quidem omnia a nobis huc revocanda non sunt. In aliquibus tantum immorabimur, quæ ad studiosæ inventutis utilitatem flagitant majorem a nobis illustrationem ad servandam articulorum Fidei tum theoreticam, tum vero practicam veritatem.

REGULA XI.

§. 1. De meritis gratiæ & gloriæ *illud omnino tenendum est de Fide Catholica, quod universale Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. itemque can. 26. & 32. cunctis Fidelibus credendum proposuit. A contrario itaque*

§. 1. *Sequitur*, non esse de Fide Catholica 1. *dari meritum de congruo*, 2. *dari de condigno*. 3. *merita esse ex justitia potius quam ex fidelitate. &c.*

ADNOTATIO.

Quod ait Veronius de Fide non esse, hoc referendum videtur tantummodo ad conditionem meriti in regula positam, de qua disputare in animo non est. Ceterum Fides Catholica est, quod justi impetrare possint peccatoris conversionem, aliaque a Deo spiritualia pro aliis beneficia, idque etiam ex axiomate quod initio statuit Veronius. Ait namque juxta Epitomen, n. I. §. 3. doctrinam de Fide Catholica intelligi etiam ex manifestato Fidelium omnium sensu, scilicet ex universalis Ecclesiæ consensione. Porro certum apud omnes est, regulam orandi supponere regulam credendi. Ecclesia veso unversalis in suis liturgiis orat & pro peccatorum conversione, & pro aliis spiritualibus beneficiis a Deo obtinendis; inutiliter & per errorem oraret, si justi impetrare ea beneficia a Domino non possent. Evidens ergo quod propositum a nobis est. Hoc statuto inutile prorsus videri potest inquirere, qua ra-

tione impetrent, sed tamen ex Fide est, eos impetrare pro aliis posse, secus in universalis Ecclesiæ praxi error doceretur, quod absurdum. Nec prætermittendum hic est, quod habet Catechismus Concilii Tridentini, in quo parte 2. de Sacram. Pœnit. n. 109. legitur: *Qui divina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere*.

Quod vero ait Veronius n. 3. non esse de Fide, quod merita sint ex justitia, ipse probat ex Vasquesio, qui tamen ita concludit orationem de hac re suam ut doceat fidelitatem, qua nobis Deus promisit merita, & gloriam esse partem protestativam justitiæ. Poterat ipse meminisse Apostoli dicentis 2. ad Timoth. cap. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus, justus judex, non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum Dei*.

Quæ habet Veronius Regula XII. nulla indigent declaratione.

REGULA XIII.

§. 5. *Patet non esse de Fide*, Thesaurum Ecclesiæ ut vocant, satisfactionum Sanctorum, nec proinde Indulgentias *quæ dantur vivis sive defunctis*, dari per distributionem hujus Thesauri.

§. 1. *De Fide est, potestatem esse in Ecclesia concedendi Indulgentias divinitus ipsi traditam*. E contrario.

REGULA XIV.

§. 2. *Ne quidem esse de Fide*, esse in Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias, per quas remittantur Fidelibus pœnæ pro peccatis remissis debitæ apud Deum *sive in hac vita, sive in Purgatorio*.

ADNOTATIO.

Hæc more suo etiam Veronius, qui tantum materialibus, ut ita dicam, verbis Concilii Tridentini perducere conatus est ad veram Ecclesiam hæreticos. At si materialia verba nil plane significent, si ex aliis

Con-

Concilii verbis ibidem positis eruatur canonum sensus; cur delitescere eum sinunt, qui juvenes theologicis disciplinis instituunt? Itaque Tridentina synodus, ubi doctrinam Indulgentiarum tradit, omnia Ecclesiæ vetera, media & recentiora tempora evidenter complectitur. Porro vetustiori ætate concedebantur Indulgentiæ ad remittendam temporalem pœnam pro peccatis coram Deo debitam, ut evidens est ex Patribus antiquis apud Pouget. Concilia pariter habentur ante Tridentinum celebrata, quæ idem cum Patribus sentiunt. Præterea Leo X. in sua Bulla, quam Ecclesia universa amplexa est, hanc damnavit Lutheri propositionem: *Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam*. Ergo dubitandum Catholico non videtur, remitti ex Ecclesiæ Indulgentiis pœnas temporarias.

Quod vero ad Thesaurum illum spectat, ex quo Indulgentiarum virtus hauriatur, satis est primo commemorare canonem Tridentinum XIII. sessionis XIV. *Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis . . . anathema sit*: deinde vero proscriptam ab eodem Leone X. hanc num. 17. Lutheri propositionem: *Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi aut Sanctorum*. Denique si ex ratione ipsa theologica certo novimus, omnia spiritualia bona nobis communicari ex meritis Christi tamquam capitis & Sanctorum, qui sunt ejus membra; nemo sane non intelligit, eam inesse in superiori Tridentini canone significationem, quam hucusque paucis verbis, sed optimis monumentis demonstravimus; ac proinde utraque illa propositio si Catholicæ expressæ Fidei non censetur, adeo tamen est proxima,

 ut

ut illustratio hæc nostra in iisdem contineri videatur. Qualecumque igitur remedium illud fuerit, quo Protestantium curando morbo adhibuerit Veronius, idem certe propinandum non est eadem ratione Catholicis in doctrina Ecclesiæ instituendis. Qui plura de Indulgentiis desiderat, adire poterit laudatum scriptorem Gallum Pouget, inter Theologos coeleberrimum, aut egregium Anonymi (nimirum P. Michaelis Angeli Fumè Camaldulensis Th. P.) opusculum recens inscriptum; *Difesa delle dottrine del Concilio di Trento sulle Indulgenze*.

REGULA XV.

Hic pariter more suo Epitomator indicat Tridentini locum, ex quo haurienda Regula Fidei quoad Purgatorium. Concilium ergo definiit, constare ex sacris litteris & antiqua Traditione Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio juvari. In Epitome autem §. 3. n. 1. dicitur: *Non est de Fide*, suffragia, *quæ a Fidelibus pro Defunctis fiunt*, *certa lege illis prodesse*, idem legitur *n.* 2. *&* 3. *de Sacrificio Missæ*, *ac n*, 4. *additur*: Nec de Fide est, *remissionem hanc* (pœnæ) quæ fit, *fieri per applicationem satisfactionum nostrarnm* animabus Purgatorii.

ADNOTATIO.

Quod ait primo Veronius non esse de Fide, refertur ad illam conditionem *certa lege*. Esse enim de Fide juvari defunctorum animas vivorum suffragiis expresse a Concilio definitum vidimus. Si non *certa lege*, lege tamen aliqua juvantur; secus nullo modo juvarentur. Fateor, non esse certam legem, ut omnia prorsus vivorum suffragia pro Defunctis effectum optatum obtineant; est tamen certum, ea obtinere illum posse, ac sæpe obtinere, secus universalis Ecclesiæ consuetudo orandi pro Defunctis errorem contineret. Nam

error est credere, quod aliqua caussa possit effectum gignere, quem non potest; ast Ecclesia non oraret pro Defunctis, nisi crederet, juvari eosdem viventium suffragiis, erraret etiam, si ea nullum consequi effectum possent. Quod autem n. 4. ait, non esse de Fide, remissionem pœnarum pro Defunctis fieri per applicationem satisfactionum nostrarum animabus Purgatorii, fortasse scholasticam aliquam supponit distinctionem, inutilem sane ad dogma explicandum. Cæterum si dogma est juvari viventium suffragiis animas Defunctorum; habetur hic caussa & effectus ex ea productus, effectus autem non producitur nisi per applicationem caussæ. Sed sollicitus non sum, quinimo plerumque improbo scholasticas dogmatum explicandorum investigationes, quum dogmata ipsa paratam, sine ulla inquisitione, habeant significationem.

Antequam vero ad alia progrediamur, transferenda hoc loco sunt ea, quæ habet ipse Veronius Cap. II. §. 3. n. VI. sub finem, Veronius inquam, quem Ticinenses ut Magistrum optimum venerantur, ubi de satisfactione quod dogma sit, quæ dogmata non sint, ipse exposuit, addit deinde; *Si quæris, quæ nobis probabilior* (quam se amare ajunt Ticinenses) *doctrina de his articulis*, quos a Fide Catholica separaverat, *Resp. Censemus probabilius I. satisfactiones esse de condigno, condignitate orta partim ex natura operis, partim ab acceptatione divina. 2. Non sola opera charitatis elicitive, vel imperative, sed alia etiam aliarum virtutum, maxime pœnalia, esse satisfactoria. 3. Posse Fideles sibi invicem suffragium ferre, dum unus pro alio solvit pœnam temporalem pro peccatis* (quoad culpam) *remissis debitam satisfactionis nomine in proprietate & rigore sumpto, quod non est solum impetrare gratuitam remissionem pœnæ, sed & debitum solvere: non est itaque solum per modum impetrationis. Addo quod Fi-*

deles hoc modo satisfaciunt tum pro vivis, tum pro defunctis: & utramque satisfactionem infallibiliter prodesse iis, pro quibus offeruntur, sive viventibus in hoc mundo, sive in Purgatorio existentibus, & secundum totum harum satisfactionum valorem. 4. Unde dicendum etiam, esse in Ecclesia Christi Thesaurum, non solum & quidem præcipue ex Christi merito & satisfactione, quo sensu Thesauro sumpto, Fide is constat, sed etiam ex Sanctorum tum meritis, tum satisfactione proprie sumpta, pro aliis, ut dictum supra. Hæc prudens adnotavit Veronius, ne Catholicis quibusdam asperæ nimis viderentur antea positæ sententiæ, ac ne Christiani erroris offendiculum in praxi incurrerent: licet ipsi Veronio propositum dumtaxat esset, hæreticos in rebus Fidei instituere. Verumtamen Epitomator Catholicos juvenes imbuens hæc omnia prætermittere se posse existimavit: qua mente, quo fine, judicent alii. Si brevitatem sermonis velut excusationem proferat, hanc excipiat, qui brevitatem cum obscuritate, vel etiam cum erroris periculo conjunctam diligat. Brevitati studebat etiam Veronius, ipse tamen non nudas protulit sententias affirmantes & negantes; sed argumentis omnia confirmavit, quibus veritatem omnibus suadere se posse censuit, atque præterea sæpe illa addidit remedia, sive ea adjumenta, quæ pluribus, præsertim juvenibus necessaria a prudentibus censentur, ne cibi qui natura sua optimi sunt, perniciem aliquam possint efficere. Idem præstitit Veronius in aliis etiam, quæ sequuntur, quem imitatus non est Epitomator, a quo eleganter, si Dis placet, ita proponitur

REGULA XVI.

De legum humanarum obligatione, quæ statuit Tridentinum sess. 6. can. 20. & sess. 7. can. 8. ea sunt Fidei Catholicæ, quia proposita a Concilio universali. At mera calumnia est, idem Concilium prohibere Catho-

licis lectionem Scripturæ *vulgari idiomate.*

ADNOTATIO.

Veronius primo in hanc rem recitat partem professionis Fidei, quæ sicut in Ecclesia Catholica, ita & in Gallicana obtinet: *Ecclesiæ observationes & constitutiones firmissime admitto & amplector. Receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in omnium Sacramentorum solemni administratione recipio & admitto. Romano Pontifici veram obedientiam spondeo ac juro &c.* Utinam qui gloriantur sequi se eas, quas appellant Gallicanas sententias, eamdem professionem ex toto corde emitterent, ac toto opere adimplerent. Affert deinde Veronius canones Tridentinos de obligatione, qua omnes Fideles tenentur Ecclesiæ leges observare. Ut autem supra vidimus, ipse fatetur adhuc, Fideles quoslibet teneri ad obedientiam R. Pontifici præstandam. Quamobrem si R. Pontifex vetet vernaculam S. Scripturæ versionem, obtemperandam eidem erit a Fidelibus. Ceterum non omnes quascumque prohibuit R. Pontifex Bibliorum translationes vulgari lingua editas, sed eas dumtaxat, quæ ipse non approbavit, nec approbandas esse censuit; atque in eo hanc esse potestatem agnovere Tridentini Patres.

REGULA XVII.

De invocatione Sanctorum indicatur, non affertur Tridentini Concilii locus, ex quo desumendum est dogma, nempe sess. xxv. ubi statuitur, *Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas Deo pro hominibus offerre, bonum atque utile esse, eos invocare, & ad beneficia impetranda a Deo per filium ejus Jesum Christum, qui solus noster redemptor & salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere; illos vero qui negent Sanctos... invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idola-*

lolatricam &c. impie sentire. Hinc prosequitur regula:
Non esse de Fide Catholica I. Sanctos in Cœlo audire preces, quæ illis fiunt a viventibus.

Adnotatio.

Quia nimirum inquit in suo opere Veronius, hoc expressum a Concilio non est. *Verum tamen*, ipse addit cap. 2. §. 7. *est*, *Sanctos de facto audire preces nostras, Deo illas illis revelante, & aliis modis explicatis ab Augustino & Gregorio M.* Quarto loco addit cum Veronio Epitomator non esse de Fide, *Sanctos quos invocamus, esse vere Sanctos & Beatos, iis exceptis, qui tales in Scriptura nobis exhibentur*. Nuda hæc propositio plurium Catholicorum auribus parum salte utilis, nisi etiam perniciosa est. Quare prudentia sua utens Veronius, quem imitatus non est ejus Epitomator brevitatis caussa, addidit ibidem num. 4. *Gravissima tamen est auctoritas ex Canonizatione, & temerarius omnino foret, & plectendus, qui post talem Canonizationem ex informatione exactissima miraculorum, & vitæ præteritæ Sancti fit, negaret Canonizatum illum esse Sanctum, aut de eo dubitaret &c.* Adeo autem prudens est Veronius, ut non solum hoc monuerit incautos, sed etiam, quoniam antea n. 3. dixit de Fide non esse, necessarium fore invocare Sanctos, tandem ad avertendum multo difficilius periculum, hoc adjecit monitum: *Qui aliunde tenerentur ad invocationem v. g. beneficiarii ad recitandas aliquando litanias Sanctorum, tenerentur ad illum invocandum, nec sufficiens foret illis excusandis ab invocatione talis Sancti, obtendere non esse de Fide, illum esse Sanctum*.

REGULA XVIII. XIX. XX.

De imaginibus Christi, Deiparæ & aliorum Sanctorum statuit Tridentinum sess. 25. eas *habendas & retinendas esse, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam*.

ADNO-

Recte quidem, sed quod n. 4. ait cum Veronio Epitomator: *nec de Fide est, cultum delatum imaginibus esse Religiosum*, hoc ex simili alio Veronii loco, de quo infra, ita interpretor ab eo dictum, ut non sit de Fide, appellandum esse *religiosum* cultum illum; propterea quod hæc vox *religiosum* non sit a Concilii Patribus adhibita. Quinimo paullo post in ipsa Epitome Veroniana n. XIX. & XX. videtur hæc fuisse auctoris mens. Ibi enim loquutus de cultu Reliquiarum ac de cultu Sanctorum ait non esse de Fide, eum *vocandum esse religiosum, seu alio quovis specifico nomine donandum*. At si rem paullo diligentius inspicere libeat, constabit utique mens Concilli de cultu illo tamquam religioso. Cultus enim, qui alicui cum veneratione defertur, vel civilis & politicus, vel religiosus est; medium qui invenerit, mihi commonstret, quem non video. Jamvero quis unquam dixerit Conciliorum munus & cogitationem esse, ut decernat cultum civilem & politicum tantummodo? Hoc nunquam somniarunt Concilii œcumenici Patres, qui de spiritualibus rebus ad Deum ut finem ultimum spectantibus tantummodo pertractant atque definiunt. Religiosum ergo cultum Sanctis decrevere. Verborum sensus ex manifestata legislatorum mente facile percipitur. Sessione igitur XXV. ajunt Patres, quod honor imaginibus exhibendus *refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ut per imagines quas osculamur & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur*. Quod vero Christus religiosum mereatur cultum, evidens est; quod Sanctis pariter etsi minoris gradus cultum, religiosum tamen debeamus ex eo intelligitur, quod paullo ante Concilium dixerit, eos cum Christo regnantes, ad quos deferendæ sunt

sunt orationes nostræ, quas ipsi pariter ad Deum referunt, ut spiritualia nobis impetrent beneficia. Quamobrem de religioso cultu imaginibus sacris debito non est ambigendum. Agebat Veronius in sua Fidei Regula cum hæreticis, qui sæpenumero vocabulis magis quam re ipsa offendebantur, ac proinde de vocabulo, non de re ipsa est loquutus.

REGULÆ XXI. XXII. XXIII.

Adnotatio.

Hæ sunt de Eucharistia. In quibus pariter Regulis, ubi adnotat Veronius, quæ non sint de Fide, in vocabulis potius, quam in re ipsa immoratur. Recenset quoque inter ea varias Scholasticorum subtilitates, quæ umbras pariunt; propterea ab hisce omnibus abstineat juventus Theologiæ studiosa, atque satis habeat, se ex Tridentinis canonibus agnoscere realem in Eucharistia Christi præsentiam, ita ut nulla amplius remaneat post consecrationem materia panis aut vini, & de his contentus roget Deum, ut ipse adaugeat nobis Fidem, quæ, monente Ecclesia, sola sufficit.

REGULA XXIV.

Adnotatio.

Regula est de sacrificio Missæ, de qua pariter Regula illud dicendum, quod de antecedentibus dictum est. Illud tantum est observandum, quod num. 6. adnotatur in Epitome ex Veronio, quod *longissime est a Fide* valorem hujus Sacrificii esse infinitum. Atque hoc quidem ex Vasquesio desumsit asserente, plures Theologos in hac fuisse opinione. Sed paucis in harmoniam revocari possunt dissentientes in hac re subtiliores Scholastici. Valor enim Sacrificii si in se ipso consideretur, quoniam infinitæ potentiæ est, ideo infinitus recte vocabitur; si autem quoad effectus tantummodo perpendatur, quoniam effectus hujusmodi

di manat in creaturas, quæ finitæ sunt, propterea recte etiam finitus appellari poterit. Verum inutilis inquisitio est, quum ex Fide constet, omnia in nos ex hoc Sacrificio bona proficisci posse.

REGULA XXV.

ADNOTATIO.

Regula est de R. Pontifice, ejus primatu & auctoritate. In Epitome dicitur tantum, esse in hac re de Fide, quidquid ab Ecclesia in Conciliis universalibus propositum sit, quin dicatur id, quod in his propositum est; sed velocissime pertransit auctor ad ea, quæ non sunt eadem de re catholica dogmata. Hæc scripto, illud memoriter traditur juventuti studiosæ; quasi magis intersit scire quid non sit, quam quid sit; & satius sit ignorare, vel oblivisci quid sit, quam quod non sit.

Veronius autem, qui prudentiæ leges præ oculis habuit, in primis Fidei professionem affert, quæ apud Catholicos omnes & apud Gallos ipsos obtinet, quam spernere haud debent recentiores, qui de Gallicanis sententiis tantopere gloriantur, vel gloriari se ajunt. En professio illa: *Sanctam Catholicam ex Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco*: hoc satis non habent Galli, licet satis perspicua & universalis sit sententia, sed addunt: *Romanoque Pontifici, B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram* (non fictam) *obedientiam spondeo ac juro*.

Affert deinde Veronius & Tridentinæ, & Florentinæ Synodi auctoritatem. Florentinæ verba sufficiat hic exscribere, quoniam teste ipso Veronio, *explicatius in Concilio Florentino in definitione Fidei* habetur: *Definimus Sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis*

pis Apostolorum, *& verum Christi Vicarium*, *totiusque Ecclesiæ caput* (non tantum honoris sed) *& omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere*, *& ipsi in B. Petro pascendi*, *regendi*, *ac gubernandi universalem Ecclesiam a Christo* (non ab hominibus) *plenam* (non inanem) *potestatem traditam esse*, *quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum*, *& in sacris Canonibus continetur*, quorum nempe Florentini Patres, non privati quidem Theologiæ insectatores, legitimi sunt apud Catholicos & optimi interpretes. *Hoc ergo*, inquit Veronius, *est de Fide*, *quia propositum a Concilio universali*. Si igitur Veronius in Gallia ipsa, elapso sæculo agnovit, œcumenicum esse illud Florentinum Concilium, etiam quoad definitionem de auctoritate R. Pontificis, si hoc non dubitavit asserere adversus Protestantes, quum ipse & acutissimus esset, & contra acutissimos hostes disputaret, videant quæso studiosi juvenes, quanti facienda sit paucorum quorumdam opinio, qui hisce temporibus maximum bellum in R. Pontificem intentant, qui propterea œcumenicum in hac re non fuisse Concilium illud inflatis buccis clamitare non desinunt, ut unius vel alterius Galli Scriptoris clamoribus respondeant.

Quæ postea Epitomator cum ipso Veronio deducit non esse de Fide, quia juxta Veronium in ea professione Fidei Florentina expresse dicta non sunt, concedere ipsi omnia non possumus. Quid enim interest, aliqua expressa non esse, materialibus verbis, quum tamen revera in expressis ita contineantur, ut synonyma in suis homonymis, & ita ut nisi concedantur ea quæ dicuntur non expressa, intereant prorsus illa, quæ expressa sunt. Primum deducit Veronius non esse de Fide, Rom. Pontificem esse Judicem supremum controversiarum, nempe de Rebus ad religionem Christianam spectantibus. Ast si ex Florentino Concilio Pon-

Pontifex Romanus est omnium Christianorum doctor, totius Ecclesiæ caput, si habet plenam a Christo potestatem pascendi regendi & gubernandi universalem Ecclesiam, hæc synonyma ita sunt Judici supremo controversiarum de Religione Christiana, ut hoc non concesso, nulla ex recensitis proprietatibus dignosci amplius in R. Pontifice possit. Quommodo pascitur Ecclesia, nisi doctrina. Hoc est primum ipsius Ecclesiæ pabulum, ex quo cetera dimanant pabula, & sine quo eadem manare non possunt. Si ad controversias definiendas doctrina requiritur, habes ergo in R. Pontifice hanc potestatem ad universæ Ecclesiæ bonum. Quommodo regitur & gubernatur Ecclesia nisi fundamentis doctrinæ? Ita dic de ceteris. Nam dicere, quod Princeps habeat potestatem gubernandi universam Republicam, idem prorsus est ac dicere quod universa Respublica teneatur ipsi Principi obtemperare, adeoque & universa Ecclesia subjecta R. Pontifici, quidum ea præstat, quibus regatur & gubernetur universa Ecclesia, eidem imponit onus obediendi. Secus inutilis & irrisoria plane esset ejus potestas ex divino fonte augustissimo in R. Pontificem profecta. *Sed utcumque sit* de hujusmodi quæstionibus inquit Veronius, *verissimum est, id quod manat a Sede tantæ auctoritatis esse cum magna veneratioone suscipiendum. Fuse hæc jam diximus & statuimus supra*; ut ea nos ex Veronio attulimus.

REGULA XXVI.

ADNOTATIO.

Regula est de Judice cootroversiarum. De hoc Tridentini Patres dixere sess. IV. & decrevere, quod S. Matris Ecclesiæ *est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum Sanctarum*. Ex his porro, quæ in hanc Regulam adnotavit Veronius, perspicuum tandem fiet, ipsum, quando plura dixit non esse de Fide.

de, respexisse potius ad verba, quæ adhibentur in declarandis Fidei dogmatibus, quam ad res iis significatas. Inquit enim Veronius apud Epitomatorem: *Siculi Concilium abstinuit a termino* infallibilitatis *in Ecclesia etiam universali circa doctrinam Fidei & morum; ita licitum cuisque est ab eo abstinere, quia terminus iste non est conciliaris*; non autem licitum credere Ecclesiam fallibilem. Addit enim, *attamen res significata per ipsum termiuum* est de Fide, *dummodo nihil aliud eo termino significetur, nisi quod habet Tridentinum, nempe* Ecclesiæ *esse judicare de vero sensu Scripturarum & de qualibet mota controversia, eique assentiendum, & ejus sensum admittendum, quæ nunquam errat ob assistentia Spiritus Sancti*, (prosequitur Veronius) *ei promissam* Joan. cap. 14. 16. 26. & cap. 16. 13. *qui errare non potest*; *nam impossibile est mentiri Deum. Hebr. 6.* 18.

Itaque sit quæ debetur laus Veronio curanti, hæreticos ad Catholicæ Fidei unitam revocare. Si unus eorum tantum ad bonam frugem ex Veronii laboribus Theologicis reversus est; labores suos optime impendit. Ita & ego utilem existimabo a me susceptam Veronianæ Epitomes illustrationem, si id obtinuero, ut vel unus saltem caveat a periculis, in quæ inducere juvenes potest haud satis recte percepta eadem Epitome. Ceterum hæreticos ad unitatem veræ Fidei revocandos esse puto, demonstrata tantummodo eisdem infallibilitate Catholicæ Ecclesiæ. Si namque hanc agnoscant, ut divinum munus, atque gratiam a Deo obtineant ejusdem sequendæ; aliam etiam consequentur intelligendi, ea quæ sunt Catholici dogmatis ab Ecclesia proposita, sicuti & nos ex divino munere agnoscimus; & sicuti nos, ita & illi paratam habebunt viam expediendi se a difficultatibus, quæ Fidem perturbare possint. Qui vero Catholicam profitetur Fidem, satius est

est, ut perlegat Tridentinæ Synodi decreta, & Catechismi Tridentini declarationes, & consulat viros non novitatis, sed Religionis amatores; quibus præsidiis in Fide eos firmari, secus ut procellosos fluctus huc illuc pertrahi se persentient, nisi etiam in profundum demergi misserrime periclitentur. Rationabile obsequium Fidei præstent: obsequium, eo quod assentiri debent revelatis, & ab Ecclesia propositis dogmatibus statim ac noverint eadem definita; rationabile vero, non quod ipsi rationibus inquirere debeant in æquitatem, atque ut ita dicam in rationabilitatem eorum, quæ sunt proposita dogmata, sed quod infallibilem agnoscant, ac profiteantur auctoritatem Ecclesiæ, quæ Catholica dogmata Fidelibus credenda proponit.

LAUS DEO.

Digitized by Google